Medica sacra: sive, de morbis insignioribvs qvi in Bibliis memorantvr commentarivs / Avctore Richardo Mead.

Contributors

Mead, Richard, 1673-1754
Norfolk, Bernard Edward Howard, Duke of, 1765-1842
Burder, Thomas Harrison, 1789-1843

Publication/Creation

Londini : Prostant apud Joannem Brindley ..., 1749.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/wrfqazqk

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Case E
Shelf 6

36145/B/1

B.XI
18/m



LEEDS.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30540495_0001

From the Author

MEDICA SACRA.

MEDICA SACRA:

SIVE, DE

MORBIS

INSIGNIORIBVS,

QVI IN

BIBLIIS

MEMORANTVR,

COMMENTARIVS.

AVCTORE

RICHARDO MEAD,

Colleg. Medicor. Londin. et Edinburg. Socio,
Reg. Societat. Sodali, et Medico Regio.

LONDINI,

Proſtant apud JOANNEM BRINDLEY,
Celſiſſ. Walliae Principis Bibliopolam,
in vico dicto *New Bond Street*.
MDCCXLIX.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PRAEFATIO.

CVM aetas ingraveſcens miſſionem jam fere mihi dederit a medicis laboribus, in quibus bono publico, uti ſaltem ſpero, quinquaginta circiter annos memet exercui; tantillum, quod mihi reſtare poterit, in vita temporis ita in otio tranſigere decrevi, ut nec mihi gravis, nec aliis inutilis videar. Otii enim ſui etiam reddendam eſſe rationem

viri boni putant, et id ſemper honeſtum eſſe volunt.

A PRIMA pueritia literarum amore captus, poſtquam ad artem medendi animum appuleram, nunquam tamen intermiſi doctrinae ſtudia, aſſiduorum negotiorum taedium hiſce oblectamentis, quaſi curarum dulcibus alloquiis, ſubinde levans. Inter haec dum Scripta Sacra, ut hominem Chriſtianum decet, frequentius evolvi, ſecundum ea, quae ad vitam aeternam et pietatis praecepta ſpectant, hiſtorias morborum et variarum aegritudinum, quae in

illis traduntur, in primis perpendere ſolebam; has cum iis conferens, quae aut ex libris medicorum, aut propria experientia didiceram. Et id quidem eo feci libentius, quod animadverteram theologos ſuper his, rerum medicarum inſcitia, ſaepe in diverſas ſententias abire; praeſertim cum daemoniaci, JeſuChriſti, Servatoris noſtri, potentia ſanati, quaeſtioni locum praebeant. Hos enim multi revera a daemonibus obſeſſos fuiſſe volunt, et in illis expellendis quam maxime eluxiſſe divinam ejus virtutem. Mihi profecto longe alia mens eſt, quam ut do-

ctrinae Christianae fundamenta diruere; aut prava Oraculorum Sacrorum interpretatione Dei Filium divinitate sua, tot tantisque operibus contra naturae leges peractis comprobata, privare studeam. Erroris autem patrocinio non indiget veritas, uti nec vultus natura nitidus fucum requirit. Et certum est opinionem istam, quae jam per multa saecula invaluit, de potentia ad corpora mentesque humanas vexandas daemonibus adhuc permissa, variis astutorum hominum praestigiis, cum maximo rei Christianae damno et opprobrio, ansam praebuisse.

QVIS

QVIS non merito irridet ſolennes iſtos Romae pontificum ritus, quibus exorcizantur, ut loqui amant, daemoniaci; dum homines geſtus quoſdam et furores, quales a malis geniis provenire putantur, ſimulare docti, aqua luſtrali et precibus quibuſdam, quaſi incantamentis, ſui compotes fieri, et a cacodaemonibus liberari ſeſe fingant? Verum iſtae praeſtigiae, quantumvis oculis et mentibus ignarae plebis illudant; paulo tamen ſagaciores non modo offendunt, ſed et revera ipſis nocent. Hi enim, dolo perſpecto, ad impietatem proni ducuntur;

ducuntur; et omnia ſacra eodem loco habentes, poſtquam didicerint

Relligionibus atque minis obſiſtere vatum [1],

plus ultra pergunt, et auſu nefando omnem Supremi Numinis ſenſum, ac metum, ex animis ſuis radicitus evellere ſatagunt. Qua in re haud aliter faciunt, ac ſi quis de Indis, an revera ſint, eo dubitare velit, quod multa de iis ficta et falſa a peregrinantibus narrentur. Hinc evenit, ut apud gentes nimis ſuperſtitionibus deditas plurimi occurrant

[1] *Lucret. Lib.* i. *ver.* 110.

athei,

athei, etiam inter literatos; quos hoc mentis errore doctrina, et rerum ſcientia, immunes praeſtare debuit. Hac igitur ſtultitia caruiſſe ſapientia prima eſt; huic proxima, res veras opinionum commentis non contaminare.

Et ſaepe quidem mirari ſoleo, cur fidei noſtrae antiſtites daemonas in ſcenam producere tantopere contendant, quo ſcilicet divinum Chriſti numen de victis hiſce infernis hoſtibus triumphos agat. An divinam Chriſti virtutem graviſſimorum morborum ſanationes, juſſu illius momento tem-

temporis peractae, minus patefaciunt; quam malorum geniorum ex hominum corporibus expulſiones? Omnia profecto miracula in humani generis commodum ab illo facta, dum caecis viſum dedit, nervis reſolutis robur, contractis flexilitatem ſuam reddidit, mortuos in vitam revocavit, elementorum proprietates aliis mutavit, et caetera id genus opera, mundi Conditoris omnipotentiam teſtata ſunt, praeſentemque Deum demonſtrarunt; qui ſolus univerſae naturae imperat, et fixum a ſe rerum ordinem pro arbitrio immutat et invertit. Qui haec

igitur

igitur praeſtitit, quin daemonas etiam, ne benignum ejus propoſitum in Patris voluntate hominibus declaranda, praviſque eorum moribus corrigendis, impedirent, ſubjectos ſibi habuerit, nemo certe dubitare poteſt.

Vt redeam autem ad daemoniacos, non mea eſt profecto, ſed aliorum ante me pietate et doctrina praeſtantium virorum ſententia, quam hic propono. Et proximo quidem ſaeculo inter noſtrates etiam Joſephus Meadus, theologus rerum ſacrarum cognitione nulli ſecundus, luculenta Diſ-

ſertatione eam propugnavit [1]. Cum ex eadem igitur ac ille familia, quod honori mihi duco, ſim oriundus; patreque etiam Matthaeo Meado, ſummo theologo, natus: ſtudia haec, jure quaſi gentilitio, me quodammodo vindicare poſſe ſemper exiſtimavi.

NON ſum autem neſcius, quam ſit res ardua communes errores, illos in primis, qui ad religiones ſpectant, depellere. Novimus enim omnes, quantam vim ad mentem opinionibus imbuendam prima vitae habeat inſtitutio; quas adulta

[1] *Works of Joſ. Mede, Lond.* 1677, *Diſc.* 6.

jam

jam aetate delere eſt difficile. Pueri in tenebris nocturnos lemures et larvas metuunt, hinc per omnem ſaepe vitam eadem formidine trepidant. Cur ergo miramur, ſi falſa quaedam dediſcere, atque animis excutere, etiam ſeneſcentes aegre poſſimus? Neque parvi ſane momenti hanc rem eſſe is exiſtimabit, qui ſecum reputet, in quam ſeria mala levia haec, utpote puerorum tantum et mulierculorum terriculamenta, ut nonnullis videantur, haud raro ducunt. Horret enim animus meminiſſe, quot hominum innocentium myriadas poſt Chri-

ſtum natum varias apud gentes flammis damnaverit veneficiorum ſuſpicio: dum ipſi forſan judices, aut vanis opinionibus caecarentur; aut ab irata plebe ſibi metuerent, ſi, quos illa reos praejudicaverat, ſententiis ſuis abſolviſſent. Ecquis credat quenquam ſanae mentis voluiſſe, id ſibi laudi ducere, quod nongentos circiter veneficii reos, intra annos quindecim, in unica Lotharingiae provincia, ipſe capitis damnaſſet [1]? Et tamen ex permultis, quas idem narravit, hiſtoriis illorum, qui poenas dederunt, manifeſtiſ-

[1] Vid. *Nic. Remigii Daemonolatreiam.*

ſime

ſime apparet eos omnes non, ut ipſi imaginabantur, cum daemonibus pacta habuiſſe, ſed revera fuiſſe mente captos; adeo ut palam confiterentur ea ſe facinora perpetraſſe, quae ipſa rerum natura fieri non patitur. Sed ita fit, ut error ſuperſtitionem, ſuperſtitio ſaevitiam plerumque pariat. Magno igitur gaudio afficior, quod jam ab aliquot annis leges de ſagis et veneficis morte plectendis apud nos prorſus ſint abolitae; quum barbaram hanc crudelitatem exteri adhuc retinent, eoque pertinacius, quo minus rerum veras cauſas intelligant. Et certum

tum eſt profecto ita a vulgo accipi doctrinam de daemonibus, quaſi pro numine quodam habendus ſit diabolus; aut ſaltem, ſepoſito illius metu, nullus ſatis conſtare poſſit cultus divinus: cum tamen diſerte dixerit Apoſtolus, *Ideo patefactum eſſe Dei Filium, ut diaboli opera aboleret* [1].

ATTAMEN non ab re erit lectorem ſemel admonere, interpretationem *Bibliorum* a Sebaſtiano Caſtalione factam me ubique fere adhibuiſſe; quippe quam, habita multis in locis collatione, non modo

[1] *Johan. Epiſt.* i. *Cap.* iii. *ver.* 8.

Latiniſſimam, ſed etiam accuratiſſimam, et ad ſenſum mentemque dictorum, tam in Hebraeis quam Graecis, maxime accommodatam deprehendi.

Βεβηλοις autem haec non ſcripſi; ſed iis tantum, qui aut ſacris theologicis, aut medicis, initiati ſint et eruditi. Eaque de cauſa Latino potiſſimum ſermone in lucem edere placuit; quem per multa jam ſaecula docti homines ad ea inter ſe communicanda, quae aut nova, aut praeter vulgarem opinionem dicta viderentur, ubique fere adhibuerunt. Si quis igitur libri hujuſce Anglicam

glicam verſionem ſuſcipiat, non tantum, me invito, id ſe facturum ſciat; ſed etiam contra jus illud aequabile, quo de re ſua, prout libeat, ſtatuere unicuique conceditur.

SED ut finem praefandi faciam, fidem Chriſtianam ab omnibus ſuis cultoribus id in primis exigere liquet, ut quaevis humanitatis ac benevolentiae officia ſibi invicem praeſtent. Quapropter omnino cavendum eſt, ne tam benefica animi affectio modis quibuſvis corrumpatur; quod opiniones de bonitate divina minus conſentaneae maxime faciunt.

Proinde,

Proinde, cum ea ſit temporum noſtrorum calamitas, ut non tantum licitum, ſed et laudabile multis habeatur, fidem et auctoritatem Chriſtianae religionis oppugnare, modiſque omnibus elevare; nulli mirabilium narrationum explicatus, modo ſint veriſimiles, rerumque, de quibus agitur, naturae conveniant, intempeſtivi cenſeri debent.

CAETERVM non in animo habui ſingulos morbos, qui in Sacris Literis occurrunt, deſcribere: ſed illos praeſertim, quorum natura vulgo minus cognita videbatur, vel ſaltem con-

tra quos ſingularem aliquam medicinam ipſe proponendam haberem; idque eodem ordine, quo illic traduntur, Jobi calamitate ſolum excepta, cui ob ſummam antiquitatem primum tribui locum. Multa autem tam corporis quam animi mala, praeter ea, de quibus hic meminerim, ut divinam ſuam virtutem hominibus manifeſtam faceret, ſanavit ὁ τȣ̃ κόσμȣ Σωτήρ; quorum omnium naturam et cauſas ſiquis ſcrutari vellet, rei medicae corpus neceſſe eſſet conſcribere, quod quidem non praeſentis erat inſtituti. Olim fortaſſe, niſi mihi

Fri-

Frigidus obſtiterit circum praecordia ſanguis,

plura ad hanc rem ſpectantia, reipublicae medicae cauſa, in medium proferre non pigebit. Tu interim, Lector, haec candide accipias. Mihi autem ſatis erit bene collocatae operae, rectique animi conſcientia frui. Vale.

CAPITVM ARGVMENTA.

Cap.		Pag.
I.	*Jobi morbus.*	1
II.	*Lepra morbus.*	11
III.	*Regis Sauli morbus.*	25
IV.	*Jorami regis morbus.*	30
V.	*Ezechiae regis morbus.*	32
VI.	*Senectus morbus.*	34
VII.	*Nabuchodonoſoris regis morbus.*	51
VIII.	*Paralyſis.*	55
IX.	*De daemoniacis.*	65
X.	*De lunaticis.*	82

XI. *San-*

Capitum argumenta.

Cap.		Pag.
XI.	*Sanguinis muliebris profluvium*	91
XII.	*Debilitas dorsi cum spina rigida.*	92
XIII.	*Christi sanguineus sudor.*	94
XIV.	*Morbus Judae.*	96
XV.	*Regis Herodis morbus.*	101

MEDICA

Πάν]α δοκιμάζε]ε· τὸ καλὸν κα]έχε]ε.
D. Paul. 1 *Ep. ad Theſſal.* v. 21.

MEDICA SACRA.

CAPVT I.

Jobi morbus.

MEMORABILEM faciunt Jobi morbum res nonnullae praeter ſolitum circumſtantes et conſequentes; cujuſmodi ſunt viri dignitas, ſubitanea ſtatus immutatio, res ſupra modum adverſae, incredibilis in his patientia, reſtitutio in felicitatem priori longe majorem, aegritudinis denique, qua percitus fuit, ſingularis natura.

SEDEM is habuit in regione Huſa, quam in Arabiae Deſertae parte ſep-

tentrionali, verſus Euphratem et Meſopotamiam, collocatam fuiſſe cenſet eruditiſſimus Fridericus Spanhemius [1]. Vir admodum fuit illuſtris, omnium orientalium locupletiſſimus, filiis filiabuſque beatiſſimus, vitae integerrimus, et cultus Dei obſervantiſſimus. Ad probandam autem integritatem ejus, ut Satanas illum modis omnibus, ſalva tamen ipſius vita, affligeret, Jova permiſiſſe dicitur. " Hic itaque diriſſimas illi " calamitates intulit; captis pri- " mum a Sabaeis bobus omnibus, et " aſinis; deinde balantibus et ſer- " vis, lapſo de caelo fulmine, incen- " ſis; camelis abactis; filiis filiabuſ- " que a vento in domum, in qua e- " pulabantur, impingente, ea col- " lapſa, mortuis; affecto denique " ſcabie foediſque ulceribus toto ip- " ſius corpore, ita ut, ſumpta teſta, " ſedens in medio pulvere ſeſe ſca-

[1] *Hiſtor. Jobi, Cap.* iv.

" beret."

"beret." Hinc ex ditiſſimo pauperrimus, ex fortunatiſſimo miſerrimus evaſit. Neque tamen haec omnia mala illum ab animi ſui conſtantia, et pietate erga Deum, vel minimum dimoverunt[1]; quapropter Jova ab eo ſupplicante exoratus calamitatem omnem depulit, omnia, quae habuerat, conduplicavit, et fortunatiorem fecit, quam fuerat antea[2].

ANTIQVISSIMVS autem omnium, quos quidem extitiſſe novimus, jure merito cenſeatur liber Jobi; quem nonnulli etiam patriarcharum temporibus, plurimi circa Moſis aetatem, et quidem ab ipſo Moſe, pauci poſt illum ſcriptum eſſe volunt[3]. Mihi vero perplacet doctiſſimi Lightfooti conjectura, qui illum ab

[1] Vide *Jobi Cap.* i *et* ii.

[2] *Ibid. Cap.* xlii. Lege de his docte more ſuo differentem laudatum Spanhemium, *Lib. citat. Capite* viii *et* ix.

ipſo Elihu, collocutorum uno, confectum eſſe opinatur; hac praecipue ratione adductus, quod hic vir de ſe, ceu hiſtoriae hujus ſcriptore, loquitur[1]. Id ſi ita ſit, ante Moſis aetatem exaratus fuiſſe videbitur. Caeterum utcunque haec ſe habeant, manifeſta ſummae vetuſtatis librum hunc prae ſe ferre indicia certiſſimum eſt; ex quibus, quae maximi momenti eſſe videntur, hic breviter attingam. Nuſquam in eo de exitu Iſraëlitarum ex Aegypto, de Moſe, aut lege Moſaica, quidquam dicitur. Patriarcharum more, tanquam familiae princeps, privatis in aedibus pro peccatis liberorum ſuorum expiandis hoſtias Jobus immolabat[2]. Cum integritatem ſuam declararet, illius fere ſolum idololatriae meminit, quae fuerat antiquiſſima, ſolis nimirum lunaeque cultus[3]; quem

[1] *Oper. Tom.* i. *p.* 24.
[2] *Job. Cap.* i. ℣ 5.
[3] *Ibid. Cap.* xxxi. ℣ 26, 27.

apud

apud vicinos Chaldaeos et Phoenices primum obtinuiſſe, et vetuſtiſſimum fuiſſe ſcimus. Aetas denique ipſius longe ſupra eam provecta, quae Moſis tempore ſtatuta fuit mortalibus, fidem facit antiquitatis. Vixit enim a tempore reſtitutionis ſuae annos centum quadraginta, ita ut ad annos plus quam ducentos vitam protraxiſſe facile credi poſſit. Seniorem enim fuiſſe, cum calamitates eum oppreſſerunt, inde colligere licet; quod, quanquam ſenes dicantur tres ipſius amici [1], ipſe tamen inter argumentandum nullum, ut Elihu, ob aetatem honorem iis deferre videtur. Ne longior ſim, cum Spanhemio ſtatuendum cenſeo, Jobi tempora incidiſſe in ſervitutem Iſraëliticam in Aegypto, ita ut neque poſteriora populi illius ἐξόδῳ, neque εἰσόδῳ anteriora fuerint.

[1] *Job. Cap.* xxxii. ℣ 6.

Dis-

DISPVTANT autem graviſſimi auctores, fabula ſit, an vera hiſtoria, haec narratio. Si mihi ſententiam meam hic interponere liceret, dicerem non παραβολὴν per ὑποτύπωσιν fictam, ſed ex vera hiſtoria concinnatum eſſe dramaticum poëma; et eum fortaſſe in finem, ut exemplo viri illuſtris et integritate clari, afflicti tamen et miſerrimi, omnia iſta mala, quae in captivitate ſua Aegyptiaca perpetiebatur populus Iſraëliticus, aequo animo ferre condiſceret. Metricum ſane eſſe hunc librum, pariter ac Davidis *Pſalmos*, *Proverbia*, *Eccleſiaſten*, *Canticum Canticorum*, confeſſa res eſt. Perſonae autem in ſcenam productae et interloquentes ſunt, Deus, Satanas, Jobus, cum uxore, tres ipſius amici, et Elihu. *Eſt ergo*, inquit Hugo Grotius, *res vere geſta, ſed poëtice tractata*[1]. Antiquiſſimum certe ſcri-

[1] *In loc.*

bendi

bendi genus erat poëſis, et hiſtorias veras ſuo modo ornare ſolebant poëtae, ut in vetuſtiſſimis apud Graecos et Romanos videmus. Et inter Hebraeos quoque longe poſt haec tempora Ezechiel hiſtoriam eductionis ex Aegypto carmine dramatico complexus eſt, unde *Judaicarum tragoediarum poëta* a Clemente Alexandrino appellatur [1]. Neque ſane, ut mea fert opinio, ſtyli ſublimitate et elegantia, ſermonum gravitate et ſapientia, rerum naturae deſcriptionibus, morum denique ſingulis perſonis convenientium proprietate (quae quidem omnia ſunt in fabula maximi momenti) quidquam in hoc ſcribendi genere poteſt eſſe admirabilius, et ad animos commovendos accommodatius.

[1] Ὁ τῶν Ἰουδαϊκῶν τραγῳδιῶν ποιητής. *Stromat.* *Lib.* i. *p.* 414. *ed. Oxon.* 1715.

Quo

Quo propius ſtes,
Te capiet magis.

Sed finem hiſce imponam, poſtquam de viri hujus illuſtris morbo conjecturam fecero. Illud autem in anteceſſum obſervare convenit, non Jobum, aut Jobi amicos; ſed ipſum libri hujus auctorem, calamitatem hanc Satanae acceptam referre. Mundum nempe Supremi Numinis providentia regi, et ſicut angeli ſancti, quorum miniſterio in largiendis beneficiis ſuis Deus utitur, ipſius imperio omnia procurant; ita Satanam ipſum cum miniſtris ſuis ſub Dei poteſtate eſſe, neque ſine permiſſu divino quaevis mala hominibus infligere poſſe, egregio exemplo oſtendere voluit. Hinc cum *angeli convenirent, et apud Jovam aſtarent, Satanas una cum iis adeſſe* dicitur. *Aſtare* autem, ut obſervat rabbi Moſes

ſes Majemonides[1], eſt accingi ad mandata Jovae accipienda; Satanas vero injuſſus, et ſponte ſua, ſe illis immiſcuit.

VERVNTAMEN quod ad morbum attinet, cutis vitium fuiſſe liquet. Certum eſt autem, ut foedis in ſumma pelle ulcerationibus ab omni aevo quam maxime patuerunt Hebraeorum corpora, unde carnis ſuillae eſu illis interdictum fuiſſe putant eruditi (quippe quae craſſum, et aegre perſpirabile, nutrimentum ſanguini ſubminiſtrans iſtiuſmodi corporis conſtitutionibus minime convenit) ita eo gravius ſaeviiſſe haec incommoda, quo calidiores regiones incolebantur, qualis eſt Arabia Deſerta. Atque ob hanc cauſam auctores exteri, quibus deſpectui et inviſus erat populus Judaeus, illum ex Aegypto pulſum fuiſſe tradunt; ni-

[1] *More Nevochim, Par.* iii. *Cap.* xxii.

mirum ne ſcabies et vitiligo, morbus illis communis, lepraque dictus, ad plures ſerperet[1]. At vero alius eſt morbus iſto longe deterior, in Aegypto adeo frequens, ut illic vernaculus eſſe dicatur[2], qui in torrida hac terra etiam naſci facile potuit, elephantiam intelligo. Is, leprae fere congener, viri hujus integerrimi corpus forſitan corruperat, de quo in capite proxime ſequenti plura dicemus.

Ad ſummam igitur Deus, beneficus ſemper et miſericors, cultoris ſui conſtantiam animi, et patientiam in adverſis, auctis in immenſum ejus facultatibus, cum felicis etiam familiae incremento, tandem remuneravit.

[1] *Juſtin. Hiſt. Lib.* xxxvi. *C.* 2. et *Tacit. Hiſt. Lib.* v. *ab initio.*

[2] *Lucret. Lib.* vi. ℣ 1112.

Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypto in media.

CAPVT

CAPVT II.

Lepra morbus.

ATROCISSIMVS erat, qui Judaeorum corpora frequenter foedabat morbus, lepra dictus. Ejus ſigna in ſacris literis expoſita hujuſmodi erant [1]. " In cute oriebantur " papulae; pili in album colorem " mutabantur; affectus facies cute " erat depreſſior; cum morbus in- " veteraverat, tumor albus fiebat in " cute, cui inerat caro viva; cre- " ſcebat indies haec labes, et per " corpus ſerpebat." Proinde non tantum corpora, ſed et " veſtes, " imo (quod mirum videatur) uten- " ſilia pellicea, quin et ipſos aedi- " um parietes, occupare dicitur hoc

[1] Vid. *Levitic. Cap.* xiii *et* xiv.

" malum." Idcirco de his etiam purificandis praecepta traduntur.

De contagione hujus morbi dissentiunt auctores medici. Et, quoniam de tam pestifera illius vi, quae vestes atque aedium parietes occupare posset, nec Arabes nec Graeci medici, qui multa de illo scripserunt, memoriae aliquid tradiderint; num ea, quae Judaeos infestabat, a communi lepra diversa plane fuerit, disputant doctores Hebraei; omnesque affirmant, *nunquam in universo mundo inventam esse lepram vestium et domorum, nisi in sola Judaea, et solo populo Israëlitico*[1].

Ego super hac re, quae veri mihi simillima videntur, proponam. Contagium aliud alio est subtilius. Est enim, quod halitu solo in corpus recipitur; quale in peste, variolis, aliisque febribus malignis, observa-

[1] Leg. *Critic. Sacr. ad Levit. Cap.* xiii.

mus.

mus. Eſt etiam, quod non niſi tactu contaminat; aut interno, ut luis venereae virus; aut externo, ut ſcabiei noxa, quae pannorum laneorum vel linteorum fricatione immittitur. Potuit ergo lepra, quae ſcabiei ſpecies eſt, hoc modo in hominem ſanum tranſire. Fortaſſe etiam vitae conſuetudine, pariter ac tabem, *contagioſam eſſe, et convictu cum phthiſico contrahi, corruptis putrefactiſque pituitis in pulmonem hominis ſani delabentibus*, notavit Fracaſtorius[1]. Neque aliter de elephantia, leprae congeneri morbo, ſententiam dicit Aretaeus; qui *cum morbo hoc affectis verſari atque vitam agere, non minus, quam cum peſtilentia contaminatis, metuendum eſſe monet; contagionem enim per inſpiratum aërem communicari*[2].

[1] *De morbis contagioſis*, *Lib.* ii. *Cap.* ix.

[2] *De cauſis diuturnorum morborum, et de curationibus eorundem*, *Lib.* ii. *Cap.* xiii.

At nodus difficilis hic ſolvendus eſt. Dicit enim Moſes, *Si in leprae affectu animadvertatur tumor albus in cute, factaque ſit pilorum in illa in album mutatio, et inſit in cute caro viva; lepram eſſe in corporis cute inveteratam. Sin autem lepra efflorverit in cute, et totam morbidi cutem a capite ad pedes occupaverit; tum morbidus purus judicandus erit*[1]. Manifeſtum eſt igitur, ut opinor, duas hic deſignari morbi hujuſce ſpecies; unam, in qua cutis eroſa exulcerabatur, ita ut caro viva ſubtus appareret; alteram, quae in ſumma cute tantum efflureſcebat, quae et ipſa quaſi ſquamis quibuſdam exaſperabatur. Ab iſto igitur diſcrimine evenit, ut ille morbus contagioſus eſſet, hic non item. Squamae enim furfuris inſtar, aridae et leves, in cutem non penetrant; at materia purulenta, ex ulceribus ejus effluens,

[1] *Levit. Cap.* xiii. ℣ 10, *etc.*

corpus

corpus ſummum corrumpit. Sed de morborum differentiis, qui cutem foedant, operae pretium erit legere, quae congeſſit vir rei medicae et linguae Romanae ſtudioſiſſimus, Joannes Manardus [1].

NVLLO non tempore notus fuit hic morbus; ſaevior vero ſemper erat in Syria et Aegypto, utpote regionibus calidioribus, quam in Graecia et aliis Europae locis; quin etiam hodie frequens eſt in iis nationibus. In Damaſco enim, ut a viatoribus accepi, duo ſunt noſocomia leproſis ſanandis deſtinata. Et Edeſſa fontem habet, in quo lavantur quotidie, ut antiquitus in more fuit, magno numero hac cutis ſoeditate affecti.

QVINIMO praecipuas, quae in leprae Moſaicae deſcriptione occurrunt, notas, exceptis duntaxat ve-

[1] *Epiſt. Medicinal. Lib.* vii. *Epiſt.* 2.

ſtium

ſtium et aedium inquinamentis (de quibus mox dicam) a medicis Graecis memoratas legimus. Ipſe Hippocrates λεύκην appellat Φοινικίην νῦσον, *morbum Phoenicium*[1]. Φοινικίη enim pro φθινικὴ legendum eſſe ex Galeni *explicatione linguarum Hippocratis* manifeſto apparet; apud quem Φοινικίη νῦσος eſt morbus, qui *in Phoenicia et aliis orientalibus regionibus frequens eſt*[2]. Congeneres autem morbos eſſe *leucen* et *elephantiam* in capite praecedente dixi[3]; unde, ut idem obſervat, alter altero interdum mutatur[4]. Caeterum qualis ſit uterque affectus, ex nullo auctore melius diſcemus, quam ex Celſo. Is circa imperatoris Auguſti tempora praecipua omnia, quae Graeci, tam medici quam chi-

[1] *Prorrhetic. Lib.* ii. *ſub finem.*

[2] Ἡ καλὰ Φοινίκην, ἢ καλὰ τὰ ἄλλα ἀναλολικὰ μέρη πλεονάζουσα.

[3] *Pag.* 10.

[4] *De ſimpl. medicam. facult. Lib.* xi.

rurgi,

rurgi, ad artem medendi ſpectantia ſcripſerant, collecta et in ordinem digeſta, in ſuum, hoc eſt, in Latinum ſermonem elegantiſſime et ſapientiſſime convertit. De *leuce* autem verba ejus ita ſe habent. *Vitiliginis*, inquit, *tres ſpecies ſunt.* Ἄλφος *vocatur, ubi color albus eſt, fere ſubaſper, et non continuus, ut quaedam quaſi guttae diſperſae videantur; interdum etiam latius, et cum quibuſdam intermiſſionibus ſerpit.* Μέλας *colore ab hoc differt, quia niger eſt, et umbrae ſimilis, caetera eadem ſunt.* Λεύκη *habet quiddam ſimile* ἄλφῳ, *ſed magis albida eſt, et altius deſcendit; in eaque albi pili ſunt, et lanugini ſimiles. Omnia haec ſerpunt, ſed in aliis celerius, in aliis tardius.* Alphos *et* melas *in quibuſdam variis temporibus oriuntur et deſinunt.* Leuce, *quem occupavit, non facile dimittit*[1].

[1] *De medicina, Lib.* v. *Cap.* xxviii. § 19.

In elephantia *vero*, ut ſcribit, *totum corpus afficitur ita, ut oſſa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebroſque tumores habet; rubor earum paulatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis inaequaliter craſſa, tenuis, dura, molliſque, quaſi ſquamis quibuſdam exaſperatur; corpus emacreſcit; os, ſurae, pedes intumeſcunt. Ubi vetus morbus eſt, digiti in manibus pedibuſque ſub tumore conduntur*[1]. Hiſce congruentia ſunt, quae apud Arabas medicos leguntur. Avicenna, horum princeps, *lepram* eſſe dicit, *quaſi cancrum communem toti corpori*[2]. Ex his igitur omnibus manifeſtum fit, lepram in Syria non natura, ſed gradu tantum, ab illa in Graecia, quae λεύκη ibi vocabatur, diverſam fuiſſe; et ipſum hunc morbum interdum apud

[1] *Lib.* iii. *Cap.* xxv.
[2] *Canon. Lib.* iv. *Fen.* 3. *Tract.* 3. *Cap.* 1.

Graecos, maxime vero inter Arabas, elephantiae affinem fuiſſe. Caelum enim, et victus ratio, morbos omnes in cute prorumpentes in pejus evehunt.

Qvod ad veſtium autem contagia attinet, certiſſimis experimentis compertum eſt, non tantum in peſte, et aliis nonnullis febribus; in quibus per cutem puſtulae malignae protruduntur, ut in variolis et morbillis; ſed et in ipſa vulgari ſcabie morbidam vim in rebus quibuſlibet pelliceis, laneis, linteis, et ſericis exceptam diu haerere, et hinc in ſana corpora tranſire. Potuit igitur facile per talia leproſum virus in illos, qui haec geſtabant, aut contrectabant, ſeminis ad inſtar ſpargi, et cutem labe ſibi propria corrumpere. Summa enim corporis pars, quantumvis mollis et laevis videatur, foraminibus tamen pervia, et ſulcis aſpera,

nidum praebet particulis ex tabo ſpirantibus, minutiſſimis quidem illis, ſed maxime actuoſis. Sed haec in libro *De peſte* fuſius expoſui [1]. Contagioſum autem iſtud ſeminium humore acri et ſalſo, a ſanguine derivato, commiſcetur; qui, cum natura partim in nutrimentum cedere, partim per cutem exſudare debuiſſet, hujus ſquamulas corrumpit; quae aridae factae, et albae, interdum etiam niveae, a cute reſolvuntur, ac furfuris ritu decidunt. Et licet morbus hic apud nos, quibus caelum eſt frigidius, rarus admodum et inſolitus ſit; vidi tamen ipſe ruſticum quendam ita miſerabiliter toto corpore illo occupatum, ut cutis quaſi nive cooperta ſplenderet; ſquamae vero furfuraceae aſſidue defricabantur, ſubtus apparente carne viva. Miſer iſte in loco uliginoſo vitam omnem tranſegerat, pravo vi-

[1] *Cap.* i.

ctu et aqua corrupta ſordidum corpus ſuſtentans.

At difficilior multo eſt de domibus pollutis quaeſtio. Vix enim natura fieri poſſe videtur, ut in parietibus ſiccis, et ex dura materia coagmentatis, naſci et ſe diffundere potuiſſent maculae leproſae. Subiit tamen aliquando mentem meam evenire potuiſſe, ut in muris aedium, qui ex materie admodum varia, calce fortaſſe, lapidibus, terra bituminoſa, pilis animalium, et ſimilibus commiſtis, conſtructi erant, exaeſtuando *ſcrobes virides aut ruffos intra ſuperficiem* parerent[1]; qui, cum leproſam in corpore humano ſcabiem quodammodo referrent, *lepra in domo* vocabantur. Facillime enim effervefcunt corpora natura diverſa, cum permiſcentur et coëunt. Humor igitur iſtiuſmodi prorumpens pau-

[1] *Levit. Cap.* xiv. ℣ 37.

latim

latim in pariete ſerpſiſſe, et licet non eſſet contagioſus, foetido tamen et inſalubri halitu incolis noxam et perniciem adtuliſſe cenſeatur. Nec diſſimile quiddam haud raro noſtris in domiciliis obſervare licet, ubi in muris, gypſo parum idoneo obductis, ſales calcarii et nitroſi niveo fere colore propullulant. Sacerdotibus autem domus eorum data fuit inviſendi poteſtas; qui, ubi hanc foeditatem animadverterent, muros primum circumradere; deinde, ſi perſtitiſſet adhuc vitium, etiam domum diruere, et totam extra oppidum in locum immundum exportare jubebantur.

Scio hoc ita enunciari, quaſi Deus ipſe domum hac peſte affeciſſet. At notum eſt in Judaica hiſtoria iſtum loquendi morem haud inuſitatum eſſe; ut in calamitatibus et rebus malis, quae nec opinato eveniunt,

unt, et terrorem incutiunt, illa interdum a Deo fieri dicantur, quae a causis naturalibus proveniant. Nec id facile credam, quod tamen nonnullis videtur, Deum ipsum, qui populum suum omnibus immunditiis immunem semper esse jussit, foedissima hac poena, edito miraculo, quenquam multare voluisse. Illud extra dubium est, ita constituta fuisse legis Mosaicae praecepta, ut populum ab idololatria et vanis religionibus averterent, simulque ab omnibus immunditiis purum praestarent [1]. Huc spectabant sanguinis in cibo, morticinorum, carnis suum, et aliorum quorundam animalium interdictio [2]. Haec enim omnia nutrimentum crassum, quod in morbis, qui cutem occupant, incommodum est et noxium, corpori suppeditant.

[1] *Mos. Majemonid. More Nevochim, Part.* iii. *Cap.* xxxiii *et* xliix.

[2] *Lev. Cap.* xi *et* xvii.

Vt theologicis autem hiſce medicum aliquid adjiciam, experientia compertum habeo, non aliud dari adverſus foedum hunc morbum praeſtantius remedium *tinctura cantharidum*, qualis in *Pharmacopoeia Londinenſi* proponitur. Haec ejus vis inſigni illi virtuti urinam movendi, qua pollent iſta inſecta, debetur. Magnus enim eſt renes inter et cutis glandulas conſenſus, ita ut humores in has delati per illos facile viam inveniant, et urinae profluvio expurgentur; contra vero, ubi renes diutius officio ſuo quacunque de cauſa defuerint, urinoſus liquor per cutis meatus interdum tranſudat. Interponenda tamen per vices erunt medicamenta ejus generis cathartica, quae craſſis et acribus humoribus foras ejiciendis ſunt maxime accommodata.

CAPVT

CAPVT III.

Regis Sauli morbus.

CVM "Saulus rex Jovae ſpiritu "deſtitutus a malo ſpiritu, "auctore Jova, vexabatur; ſuaſe- "runt ei ejus aſſectatores, ut ſuis "famulis negotium daret, ut ali- "quem tangendae citharae peritum "conquirerent, qui eum malo Dei "ſpiritu correptum pulſandis fidi- "bus mitigaret. Quod cum, accer- ſito Davide, factum eſſet, "quan- "docunque accidebat Saulum di- "vino illo ſpiritu corripi, David "correptam citharam manu pulſa- "bat; atque ita reſpirabat Saulus, "et, faceſſente ab eo malo illo ſpi- "ritu, mitigabatur [1]."

[1] Vid. *Regum Lib.* i. *Cap.* xvi.

MANIFESTVM mihi videtur regis hujus morbum veram insaniam fuisse, ex eo scilicet genere, quae in tristitia consistit, et quam atram bilem contrahere dixerunt medici veteres. Haec autem incertis vicibus illum occupabat, ut saepe fit in istiusmodi generis malis. Neque latere poterat aegrimoniae illius causa, utpote qui Jovae mandato regno suo nuper erat exutus. Aptissimum autem erat, quod adhibebatur remedium, citharae nimirum pulsatio. Jam olim enim medici ad discutiendas tristes cogitationes symphonias, cymbala, strepitusque proficere docuerunt[1]; quorum virtutem juxta leges geometricas nos alibi exposuimus[2]. Hinc etiam clarius patet causas naturales habuisse istum affectum, qui enim alias posset citharae cantus illum depellere? Con-

[1] Vid. *Celsum, Lib.* iii. *Cap.* xviii.

[2] *Mechan. Acc. of Poisons, Essay* ii. 4 *ed.*

silium

ſilium autem in homine et prudentia Dei ſpiritus, eis vero deſtitutus a malo ſpiritu vexari, hoc eſt, mente capi, ex Hebraicae linguae uſu dicebatur.

Non ſum neſcius Judaeos loquendi modo ſibi familiari ad angelorum malorum, Jovae miniſtrorum, potentiam hujuſmodi morbos referre ſolitos eſſe; quin et nunc dierum viros quoſdam doctiſſimos eandem ſententiam tueri. Mihi vero, ſi libere id, quod cenſeo, profari liceat, non recte videntur ad iram divinam referri morbi, quos cauſas naturales habere oſtendi poteſt; niſi diſerte denuncietur illos divinitus immitti. Cum enim in delictorum poenam proveniant, fruſtra eſſet Summi Legiſlatoris propoſitum, nullo dato documento, quo vindicta ejus ab eventibus vulgaribus diſtingueretur; quoniam inſontes etiam funeſti ejuſ-

modi casus incessere possunt. Porro rationi consentaneum videtur, ut inflicta ab Omnipotenti Judice damna aut immedicabilia sint, aut ab ipso solo tollantur; quo clarius elucescat ejus cum aequitate juncta potentia. Tali discrimine ea, quae miraculo fiunt, ab iis, quae contingunt natura, dignoscuntur. Neque enim credere par est, id velle rerum Opificem ter Optimum Maximum, ut irrita sint opera sua. Idcirco notatu dignum est, caveri semper in sacris historiis, ut in istiusmodi casibus divina vis manifestissima sit, et omnibus compareat. Ita cum Jova ob peccatum commissum Mariam lepra contaminavit, et illam, Mose veniam deprecante, sanam reddere voluit, post septem demum dies id factum est [1]. Gihezis lepra in ipso suaque progenie perpetuo haesit [2].

[1] *Numer. Cap.* xii. ℣ 14.

[2] *Regum Lib.* iv. *Cap.* v. ℣ 27.

Aza-

Azarias rex, quod ſacella non demolitus eſſet, lepra ad mortem uſque affectus eſt[1]. Ananias et conjux ejus, Petro miraculum id edente, exanimati ſubito corruerunt[2]. Elymas magus, in poenam fraudis ſuae et ſceleris, a Paulo caecitate ad tempus percuſſus eſt[3]. Cum ergo comminationes et indicia morborum, inſolito modo inferendorum, nunquam non proferantur; quidni, ubi illa deſunt, nihil ſupra naturam eveniſſe dicamus? Et hoc quidem de aliis etiam calamitatibus ſemel in univerſum dictum velim.

[1] *Regum Lib.* iv. *Cap.* xv. ℣ 5.

[2] *Act. Apoſt. Cap.* v.

[3] *Ib. Cap.* xiii. ℣ 11.

CAPVT

CAPVT IV.

Jorami regis morbus.

DE Joramo Judaeae rege narratur, quod, cum is Jovam offendiſſet, " Jova eum tam inſa-
" nabili inteſtinorum morbo affe-
" cit, ut continuatis diebus, per-
" acto biennii ſpatio, ejectis cum
" morbo inteſtinis, mortuus ſit
" morbo graviſſimo[1]." Hunc eundem interitum habuiſſe perhibentur impii reges duo, Antiochus Illuſtris et Agrippa, de quibus id dictum fuit: Εἰς τί τὰ σπλάγχνα τοῖς ὀ σπλαγχνιζομένοις[2].

[1] *Paralipomen. Lib.* ii. *Cap.* xxi. ℣ 18.

[2] Vid. *Grotii notas ad hunc locum.*

NON

Non alius autem, ut mihi videtur, fuit hic morbus, quam gravis dyſenteria. In hac enim inteſtina exulcerantur, ex quibus cruor manat, cum ſtercore aliquo ſemper liquido, et quibuſdam quaſi mucoſis; nonnunquam etiam carnoſa quaedam ramenta ſimul deſcendunt, ita ut ipſa inteſtina ejici videantur.

CAPVT

CAPVT V.

Ezechiae regis morbus.

" CVM Jovae mandato Ezechiae
" lethaliter aegrotanti nun-
" ciasset Esaias vates, illum moritu-
" rum esse, neque revaliturum; Jo-
" va, precibus ipsius exauditis, E-
" saiam reverti jussit, et dicere, se il-
" lum sanaturum post triduum. Jus-
" sit autem Esaias *massam ficuum*
" sumi, eamque ulceri imponi; quo
" facto, ille convaluit [1]."

ID mihi verisimillimum videtur, febre laborasse regem, quae in absessum desinebat. In hujusmodi autem casibus ea semper conveniunt, quae suppurationem promovent, cataplasmata in primis, quae

[1] *Regum Lib.* iv. *Cap.* xx.

digerunt et reſolvunt; neque aliud fere praeſtantius eſt illo, quod ex *ficubus aridis* conficitur. Ita, cum verbo ſolo poterat, maluit Omnipotens remediorum naturalium efficientia morbum hunc depellere. Quo certe docemur in rebus adverſis, adjunctis ad Deum precibus ut incepta ſecundet, uſum illorum, quae beneficus nobis indulſit, non negligere.

CAPVT VI.

Senectus morbus.

SENECTVS *ipsa est morbus*, sicut recte dixit poëta[1]. Cum itaque elegantissimam ejus descriptionem, a regum sapientissimo Solomone factam, cum voluptate saepe perlegerim; non alienum esse puto a proposito meo, si dilucidius illam, prout potero, exponam atque illustrem. Sunt enim quaedam intellectu non adeo facilia, quod ἀλληγορικῶς omnia exprimere voluit facundus concionator. Primum autem ipsam orationem lectoris oculis subjiciam, quae ita se habet.

" MEMENTO Creatoris tui, dum
" juvenis es, antequam veniant ma-
" la tempora, accedantque anni,
" quibus te delectari neges: ante-
" quam tenebrescat sol atque lux et

[1] *Terent. Phorm. Act.* IV. *Sc.* I. ℣ 9.

" luna

" luna et ſidera, redeantque poſt
" pluviam nubes; tum quum do-
" mus cuſtodes trement, et nuta-
" bunt milites, et ceſſabunt immi-
" nutae molae; et caligabunt ſpe-
" ctantes per meatus; et claudentur
" fores extrinſecus, cum exili ſo-
" nitu molae, et ſurgetur ad avis
" vocem; et caſſae erunt omnes
" muſicae puellae: quum etiam alta
" et illiſus in via timebuntur; et
" florebit amygdalus; et convenient
" cicadae; et peribit appetitus, diſ-
" cedente homine in aeternam do-
" mum ſuam, et circumeuntibus in
" vico lugentibus: antequam ab-
" rumpatur argentea catena; et
" quaſſetur guttus aureus; et urna
" frangatur ad ſcatebram; et con-
" quaſſetur ad foveam currus; re-
" deatque pulvis in terram, qualis
" fuerat; et ſpiritus ad Deum re-
" deat, qui eum dedit[1]."

[1] *Eccleſ.* xii. 1—7.

A MENTIS erroribus incipit enumeratio malorum. *Tenebrescit*, inquit, *sol atque lux et luna et sidera.* Perceptiones animi in senibus sunt minus vividae, rerumque ideae et imagines confunduntur, ac memoria deperditur; unde intellectum vim suam paulatim amittere necesse est. Sapientia et intelligentia *lumen* saepe in sacris literis vocantur[1]; contra vero *tenebris obduci*, et caecutire dicuntur, quibus rerum notitia eripitur[2]. Recte enim Cicero, *Ratio* inquit, *est quasi quaedam lux lumenque vitae*[3]. Hinc Deus Optimus Maximus *Pater luminum* appellatur[4]. Deficientes igitur animi virtutes sunt quasi obumbrata mundi lumina. Scio haec cum complurium doctissimorum interpretum sententiis

[1] *Job.* xviii. ℣ 5, 6, 7.
[2] *Matth. Cap.* vi. ℣ 23.
[1] *Joh. Cap.* ii. ℣ 11.
[3] *Academ.* iv. 8.
[4] *Jacob. Epist.* i. 17.

pugnare,

pugnare, qui *luminum obſcuritatem* ad nativum et proprium verborum ſenſum explicant, et *viſus defectum* intelligi putant. Miror autem illos non advertiſſe, omnia in hoc capite, etiam minima quaeque, verbis tranſlatis efferri. Etenim ut in depingendis ſenum calamitatibus actionum mentis laeſiones, quae ſunt omnium graviſſimae, non erant praetermittendae; ita non poterant hae clarius exprimi, quam per lucidorum caeli corporum obſcurationem, quae orbem regunt, et temporum viciſſitudines faciunt. Quod praecipue autem hic obſervandum venit, *viſus vitia* in numerum malorum mox refert, neque eandem rem certe iterare voluit.

At pergit interim, proximeque adjungit, quae cum jam dictis bene convenire videntur. *Redeunt poſt pluviam nubes.* Curae nimirum et moleſtiae

moleſtiae aliae alias inſequuntur, et aſſidue ſenio confectos premunt. Sicut in humidis regionibus et tempeſtatibus obnoxiis, etiamſi exhauſtae videantur nubes, ſuccedunt mox aliae, et pluviae recentes perpetuo fere ingruunt. Haec autem incommoda eo fiunt graviora, quo vires animi ad ea ſuſtentanda aut depellenda minus nunc, quam olim, idoneae reddantur.

Sed a mente ad corpus jam rex tranſit. *Domus*, inquit, *cuſtodes trement, et nutabunt milites, et ceſſabunt imminutae molae.* Membris etiam, ac firmiſſimis corporis partibus, ſua dies adfert damna. Nervorum ſcilicet reſolutio manus ac genua infeſtat. Hinc illae injuriis propulſandis, et innumeris vitae uſibus, ad quos natura ſunt inſtructae, inhabiles evadunt; haec vero oneri ſuo ſuſtinendo imparia agilitatem

ſuam

ſuam amittunt, flexuque vacillant. Dentes item molares aut excidunt, aut corrupti pereunt; ita ut pauci ad cibos duriores conficiendos amplius reſtent. In vocis Hebraicae interpretatione, quam hic *dentes molares* reddidi, Ariam Montanum ſecutus ſum, qui recte, ut opinor, ita tranſtulit. Numero enim plurali hic ab auctore uſurpatur, qui poſtea in ſingulari, ſed diverſo plane ſenſu, adhibet, ubi de guſtandi ſenſu agit; ut mox oſtendam, cum ad locum iſtum deveniam. Singulorum enim ſenſuum defectus, qui ſenectuti fere obrepunt, quin Solomon hic deſcribere voluiſſet, nequaquam mihi dubium eſſe videtur.

Ad hos itaque jam progrediens a *viſu* initium capit. *Caligabunt*, inquit, *ſpectantes per meatus*. His autem verbis deficientem oculorum aciem deſignari manifeſtum eſt, quam plerique

plerique omnes affecta aetate experientia ſua percipiunt.

SEQVITVR *guſtatus*, quem ita deſcribit: *Claudentur fores extrinſecus, cum exili ſonitu molae.* Sicut ſenes propter appetitus imminutionem labra ſua rarius, quam olim, aperiunt; ita ob dentium ad cibos comminuendos defectum ſonitu etiam minori id faciunt. Horum autem poſterius incommodum eleganter admodum verbis *exili ſonitu molae* deſignari videtur. Etenim voce *mola*, quae Hebraice hic numero ſingulari adhibetur, ciborum confectio denotari poteſt; quae cum a ſenibus non dentium, qui jam perierunt, ſed gingivarum fiat opera, ſonitu leniori peragitur.

DVLCE laborum lenimen, viriumque fractarum reparatio, ſomnus eſt. Appetitus autem imminutio, cibique faſtidium, plerumque hunc aufert.

aufert. Hinc damnum illud ſenilis aetatis priori ſubjungens ait: *Surget ad avis vocem*, hoc eſt, ad primum galli cantum ſenex expergiſcitur. Quare cum imbecillum corpus longiorem deſideret quietem, brevior et interrupta ei contingit.

Sed redit ad ſenſus, inter quos tertio loco *auditum* memorat; ad cujus beneficia percipienda aurium uſum nobis praebuit Creator. Hunc autem aufert interdum, raro non minuit, aetas ingraveſcens, quod verbis ſequentibus rex indicare voluit: *Caſſae erunt omnes muſicae puellae.* Sic enim auriculas appellare placuit, quibus tunc temporis non tantum ſonorum oblectamentum fruſtra quaeritur; ſed, quod multo eſt moleſtius, voces etiam alloquentium haud facile percipiuntur: quo cum jucunditas, tum maxima ſimul vitae commoditas, ſenſim perit. Hinc

in *Historia Judaica* Berzellaeus, octoginta annos natus, conqueritur se *fidicinum fidicinarumque cantus audire* amplius non potuisse[1].

Haec aurium damna, quae *tangendi* sensus patitur, proxime excipiunt. *Tactus* autem, ut ait Cicero, *in toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus rerumque appulsus sentire possimus*[2]. Ad corporis igitur tutamen, et complurium malorum, quibus perpetuo fere objectatur, depulsionem, hic sensus inter alios ejus usus plurimum confert. Id quod auctor sagacissimus hoc loco potissimum respicere censeatur, cum dicit: *Alta et illisus in via timebuntur*. Etenim ut senes, in via plana et aequali ambulantes, membrorum imbecillitate instabiles agunt gressus; ita in asperam et fra-

[1] *Reg. Lib.* ii. *Cap.* xix. ℣ 35.

[2] *Nat. Deor.* ii. 56.

gosam

goſam incidentes, ſenſus hujus torpore haud tempeſtive ſatis praeſentiunt, quin ſi depreſſior ſit titubandi, ſin altior ceſpitandi ac pedem offendendi, periculum adeant. Non immerito igitur, ut timore iſto perculſi, hic repraeſentari videntur.

E SENSVVM numero reſtat *olfactus*, ad quem poſtremo deveniens, imminutionem ejus in ſenibus non minus eleganter, quam breviter, hoc pacto deſcribit: *Florebit amygdalus.* Quibus verbis indicare videtur, ſenes tanquam in perpetua hieme conſtitutos, verni et aeſtivi temporis gratiſſimos odores, ex plantis ac floribus emiſſos, haud amplius percipere. Hieme autem florere hanc arborem ex Plinio diſcimus, qui de illa tractans, *Floret*, inquit, *prima omnium amygdala, menſe Januario*[1]. De canitie haec a pleriſque interpretibus

[1] *Lib.* xvi. § 42.

explicari haud ignoro, quam, ut certissimum fere senectutis signum, per albos amygdali flores denotari volunt. At enim, cum quatuor sensuum defectus per indicia tam clara et perspicua scriptor prudentissimus depinxerit, quintum silentio penitus praeterire voluisse quis credat? Quid, quod crines albi pro certo et indubitato senectae indicio minime censeri debent; cum non paucos, qui vel in media aetate, viribus corporis nondum affectis, canescunt, reperire liceat? Praeterea, quod de amygdali floribus aiunt, huic rei minime convenire videtur, qui non album sed purpureum colorem exhibent. Sed hactenus de sensibus, ad reliqua pergamus.

LONGA aetate provectis commune malum est *hernia*, tam illa, quae devoluto in scrotum intestino, aut omento fit; quam quae, distrahen-

te

te eam partem humore, nascitur. In utraque autem tumor exoritur. Infestum hunc morbum cum locusta comparare voluit concionator. *Oneri*, inquit, *erit locusta.* Sic enim melius, quam *convenient cicadae* (ut vertit eruditissimus Castalio) verbum verbo redditur phrasis Hebraea. Et versio quidem vulgata habet *impinguabitur locusta.* Septuaginta interpretes Παχυνθῇ ἡ ἀχρίς. Versio etiam Arabica, Latine reddita, *pinguescet locusta.* Nostra vero Anglicana, *The grashopper shall be a burden.* Scimus linguam Hebraicam semper esse verecundam, et scriptores sacros in iis exprimendis, quae ad partes naturales pertinent, inhonestis et obscoenis vocibus abstinentes alias mutuari, atque a rebus quibuslibet, ne castas aures offendant, similitudines ducere. Quod in regis hujusce *Cantico Canticorum* quam maxime observare licet. Deforme autem animalculum

malculum eſt locuſta, ex ſolo fere abdomine conſtans ; quam, in primis cum ovulis ſuis graveſcit, ſcrotum, hernia tumefactum, cum parte virili referre quodammodo dici poteſt.

PARTIBVS hiſce tali modo affectis, *appetitum perire* addit vir ſcientiſſimus; non tam ad cibos hic reſpiciens, quam ad illa, quae vigenti congruunt aetati. Nam, ut dixit *artis amandi* magiſter: *Turpe ſenilis amor*[1].

TANTO igitur malorum cumulo ſenes oneratos ad mortem deprimi, et ſuorum luctu *in aeternam domum ſuam*, qua corpora conduntur, *diſcedere*, nemini mirum eſſe poteſt. Caeterum intra hos fines aerumnas eorum, dum vivunt, haud ſemper conſiſtere, ſed alias quoque nonnunquam accedere, in reliqua orationis parte monemur.

[1] *Ovid. Amorum L.* i. *Eleg.* ix. ℣ 4.

NON

Non enim membris tantum atque artubus decrescit per aetatem suum robur; sed et spina dorsi, imminuta indies musculorum et ligamentorum vi, aliquid de sua stabilitate deperdit: hinc senex erectus stare nequit, et pronum in terram, qua brevi tegendum erit, corpus inclinat. Haec *catenae argenteae* assimilatur, quae *abrumpi* dicitur. Vertebrae enim, ex quibus constat, quasi annuli sunt, et in posteriorem partem, incurvato corpore, prominent. Quinetiam medulla, quae per has fertur, *argentei* sive albidi coloris reperitur.

Qvae hactenus dicta sunt, difficillimos explicatus non habent. Tria autem, quae concionem concludunt, incommoda revera sunt aenigmata, et Oedipi conjectoris indigent; qui tamen cum, saltem me judice, nondum repertus sit, ipse pro viribus ea

ſolvere conabor. *Quaſſatur*, inquit, *guttus aureus: urna frangitur ad ſcatebram: et conquaſſatur ad foveam currus.*

DESTILLATIONES humoris ex capite in nares, fauces, et pulmonem ſenes vexant; quae profluenti ex quaſſata ampulla, vel *gutto*, aquae aſſimilantur. Propter dignitatem vero capitis *aureus* dicitur *guttus*.

NEQVE a capite tantum defluit pituita, ſed et aliae partes liquorem ſuum inordinate effundunt. A renibus enim (quorum cavitas etiam nunc ab anatomicis *pelvis* dicitur) quod in iis ſecernitur ex ſanguine, in veſicam profluit; quae ad debitum tempus propter reſolutum ſuum ſphincterem, quaſi *fracta ad fontem urna*, id retinere nequit. Hinc foedum urinae ſtillicidium aſſidue moleſtiam creat.

ET

Et hae quidem noxae ſingulas partes premunt; poſtrema vero, cum in hac oratione, tum in ſenibus calamitas, eſt univerſi corporis afflictio. Sanguinis ipſius curſus interrumpitur; hinc ſpiritus difficultas, apoplexia, aut lethargus miſellos occupat. Cor etiam, vitae principium et fons, vi ſua defectum jam concidit, *et in foveam labitur quaſſatus currus.* Ignorabant quidem veteres ſanguinis circuitum; at vitalem hunc humorem huc illuc per corpus aliquo modo moveri, viſcera et membra calore ſuo fovere, frigidum denique circum praecordia in morte concreſcere, neſcire non poterant.

Notatv autem maxime dignum eſt effatum illud, quo rex ſapientiſſimus concionem ſuam concludit. *Redit*, inquit, *pulvis in terram, qualis fuerat; et ſpiritus ad Deum re-*

dit, qui illum dedit. Quibus verbis, ut videtur, ignorantiae illorum, qui animum ſimul cum corpore interire putarunt, occurrere, et immortalitatem ejus aſſerere voluit.

CAPVT

CAPVT VII.

Nabuchodonoſoris regis morbus.

ADEO mirabilia et praeter naturam videntur ea, quae de Nabuchodonoſore Babyloniae rege narrantur, ut illum in beſtiam revera transformatum fuiſſe ſomniarint nonnulli interpretes. Haec autem illi contigerunt: " Ab hominibus " per annos ſeptem depulſus inter " beſtias verſabatur, herbis more " boum paſtus; corpus rore caeleſti " tingebatur; pili, et ungues ut ali- " tibus, increverunt. Exacto tandem " illo temporis ſpatio, ad ſe rediit, " regnique ſui majeſtas, aucta etiam " dignitate, ipſi reſtituta eſt. Cri- " men autem ejus fuerat ſuperbia, et " Dei contemptus[1]."

[1] Vid. *Dan. Prophet. Cap.* iv *et* v.

Haec omnia ita homini inſano et melancholico conveniunt, ut certum mihi videatur regem hunc mente captum in agros migraſſe; cumque ſe in bovem mutatum eſſe imaginaretur, pecudum ritu herbas comediſſe. Eſt enim, ut infra expoſiturus ſum [1], laeſae imaginationis morbus omnis inſania, qua ille laborans ſeptem annos vitam infelix tranſegit. Cultus autem corporis negligentia pili et ungues in longitudinem ultra modum creverunt, unde hi craſſiores facti et incurvati avium ungues referebant. Hanc autem inſaniam *lupinam*, aut *caninam*, appellarunt medici veteres; eaque affectos λυκανθρώπους, aut κυνανθρώπους. Quos noctu exire dicebant, imitantes in omnibus lupos, aut canes; monumenta etiam mortuorum praecipue aperire; tibiaſque habere penitus exulceratas propter caſus aſſiduos,

[1] Vid. infra, *Cap.* ix. *De Daemoniacis.*

et

et caninos morſus[1]. Simili modo inſaniviſſe Proeti filiae narrantur; quae, ut ait Virgilius,

Implerunt falſis mugitibus agros[2].

Nam, ut Servius notat, *Juno hunc furorem earum immiſit mentibus, ut putantes ſe vaccas in ſaltus abirent, et plerumque mugirent, et timerent aratra.* Has autem, teſte Ovidio, Melampus medicus

Per carmen et herbas
Eripuit furiis[3].

Neque noſtris temporibus ignotus fuit hujuſmodi affectus. Cujus inſigne exemplum in agricola Patavino memorat Schenckius; *qui ſibi lupus videbatur, multoſque in agris inſiluit trucidavitque, tandemque captus conſtanter aſſeveravit ſe verum eſſe lu-*

[1] Vid. *Aetium, Libr.* iii. *Cap.* xvi. *medicin. Lib.* vi. *Cap.* ii. et *Paul. Aeginet. Lib.*

[2] *Eclog.* vi. 48.

[3] *Metam.* xv. 325.

pum

pum, diſcrimen ſolum exiſtere in pelle cum pilis inverſa[1].

NOSTRAE autem ſententiae illud forſan obſtare videbitur, quod regi praedictum fuerat hoc infortunium, ita ut mores ſuos corrigendo id praecavere potuiſſet; ideoque ſecundum naturam contigiſſe non ſit veriſimile. Scimus autem tum ea, quae clementer, tum quae per vindictam exequitur Deus, ſaepe cauſarum naturalium adjumentis peragi. Sic Ezechiae mortem comminatus, precibus ejus victus, vitam illi reddidit, et, ficubus tumori ſuperimpoſitis, fecit morbo medicinam[2]. Herodem regem propter ſuperbiam vermium eroſionibus conſumi juſſit[3]. Peſtes denique, quae ad iram divinam ab omnibus fere referuntur, corrupti aëris vitio plerumque originem debere nemo dubitat.

[1] *Obſervat. med. rar. de Lycanthrop. Obſ.* i.

[2] Vid. ſup. *Cap.* v. *p.* 32.

[3] Vid. infra *Cap.* xv.

CAPVT

CAPVT VIII.

Paralysis.

TRES in sacris Evangeliis memorantur paralytici a Christo sanati[1]. Ex his unius, qui tertio loco recensetur, morbum, quoniam in eo singularia quaedam occurrunt, speciatim referam. Narrat itaque Divus Johannes, " Hierosolymis a-
" pud oviaricam piscinam jacuisse
" ingentem aegrotantium multitu-
" dinem, caecorum, claudorum, ta-
" bidorum, aquae motionem expe-
" ctantium. Angelus enim certo
" tempore descendebat in piscinam,
" aquamque turbabat; post quam
" turbationem qui primus descen-
" debat, sanus evadebat, quocunque
" tandem morbo teneretur. Erat

[1] Vid. *Matth. Cap.* viii *et* ix. et *Johan. Cap.* v.

" autem

" autem illic homo quidam annum
" agens in morbo duodequadrage-
" simum. Hunc ut vidit Jesus de-
" cumbentem, et jam diu decubu-
" isse cognovit, dicit ei, *Vis sanus*
" *fieri?* Cui aegrotus, *Domine*, in-
" quit respondens, *hominem non ha-*
" *beo, qui me, dum turbata est aqua,*
" *conjiciat in piscinam; interim ve-*
" *ro dum eo ego, alius ante me de-*
" *scendit.* Tum Jesus, *Surge*, in-
" quit ei, *et ambula.* Atque homo
" confestim sanus evasit, et sublato
" suo grabato ambulabat.

STAGNVM hoc, vel quoddam certe ejus loco, religiosi incolae etiam hodie viatoribus ostendunt[1]. Sed et, quod magis ad rem facit, Eusebius suo adhuc tempore extitisse eam piscinam, et geminas paludes habuisse testatur; quarum utraque, ut ait,

[1] Vid. *Cotovici Itinerarium Hierosolymitanum, Lib.* ii. *Cap.* 11. et *Maundrell's Journey from Aleppo to Jerusalem, pag. m.* 107.

anni-

anniversariis imbribus replebatur, altera vero mire rubentem praebebat aquam[1]. Causam hujus coloris refert juxta vulgarem opinionem ad sacrificia, quae olim in ea mundabantur. At minime dubito, quin a terra miniata, sive ochra, quae in balneis frequens est, a pluviis certis temporibus decidentibus e fundo sursum lata, et cum aqua commista, ortum habuerit.

Non una res hic torquet interpretes. Disquirunt enim primo, qualis esset ista aqua; deinde cur non sine turbatione vim suam exerere poterat; tum quaenam esset ista turbatio; denique de angelo, quisnam ille foret, inter se dissident. Ego, quae de hisce singulis dicenda habeo, breviter exponam.

[1] *Onomasticon urbium et locorum Sacrae Scripturae, in voce* Βηζαθά.

PRIMVM igitur utilissimae habebantur ad multos morbos usu tam externo, quam interno, apud veteres aquae naturam metallicam secum ferentes; quae pro varia indole venarum metalli, per quas fluebant, aliis atque aliis morbis accommodabantur. Hinc in resolutione nervorum *natationes in aqua marina, vel salsa, potissimum si quo loco eae naturales, vel etiam manufactae sint*, commendat Celsus[1]. Et Plinius, *Est autem*, inquit, *utilis aqua sulphurata nervis, aluminata paralyticis, vel simili modo solutis.* Quin et subjungit, *Utuntur coeno fontium illorum utiliter; sed ita, si illitum sole inarescat*[2]. Idem auctor de fontium quorundam scaturigine mira tradit. *In Boeotia*, ut ait, *duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem affert*[3]. *In Macedonia duo rivi confluunt, alter saluberrimi po-*

[1] *Lib.* iii. *Cap.* xxvii.
[2] *Lib.* xxxi. § 32.
[3] *Ibid.* § 11.

tus,

tus, alter mortiferi[1]. Et alia consimilia. His addi potest, quod de fluvio Adonide in terra Bybliorum refert testis oculatus Lucianus. *Ille quotannis colorem amittit, et quasi cruore infectus ipsum pelagus, in quod influit, purpureum efficit*; cujus rei hanc causam addit, quod *per montem Libanum, cujus terra miniata est, deferatur*[2]. Neque alienum est observare, in regionibus quibusdam reperiri miras aquarum eruptiones. Connachiae in Hibernia fons est dulcis aquae, in vertice montis excelsi, qui marinos aestus imitatur, bis die deficiens, bisque exundans[3]. Lunarem virtutem sentit fons quidam Hungariae, in comitatu Saros; quem crescente luna augeri, deficiente minui, et in interlunio prorsus deficere compertum est[4]. Denique

[1] *Lib.* xxxi. § 19.
[2] *De dea Syria.*
[3] Vid. *Ortelii Theatr. orbis terrarum.*
[4] Vid. *Geo. Vuernherum De admirandis Hungariae aquis.*

haud rari erant in Palaestina fontes medicamentosi, quorum historias collegit vir literis orientalibus doctissimus, Hadrianus Relandus[1].

ATTAMEN qui pro miraculo hic contendunt, nulla balnea reperiri aiunt, qui omnibus quibuscunque morbis medeantur; nec quae unico tantum singulis annis mense virtutem suam exerant; addunt etiam hanc aquam, ab angelo demum turbatam, salutarem fuisse. Qui aliter autem sentiunt, plurimas aquas, quae salibus metallicis gravidae certis anni temporibus salutares sunt, memorant, quarum limus a fundo sursum evectus multis morbis fuit auxilio. Quae natura igitur per se efficere potest, ad vires supra eam positas haud recte referri dicunt. Quantum autem de contrariis his sententiis dijudicare valeam, media quaedam in-

[1] *Palaestina ex monument. vet. illustrata, pag.* 300, *etc.*

ter

ter utramque mihi vero proxima esse videtur.

Censeo enim piscinae hujus aquam vim medicatam a coeno, in fundo suo haerente, acquisivisse; quod salibus metallicis ex sulphure forsan, alumine, aut nitro, gravidum erat. Haec autem, quum aqua causa aliqua naturali, calore forsan subterraneo, aut imbribus, turbaretur, sursum elevata ei miscebantur, illis profutura, qui, antequam subsedissent particulae metallicae, in piscinam descenderent. Minime ergo mirum est in porticibus, quas quinque habuisse dicitur hoc lavacrum, convenisse semper *ingentem aegrotantium multitudinem, aquae motionem expectantium*; iisque praecipue morbis laborantium, ad quos illa utilis erat, caecitate nimirum, nervorum resolutione, et tabe. Neque aliter fieri potuit, quin omni

ope

ope contenderent quamprimum immitti; ne forte, limo deorsum lato, de spe sua deciderent. Qui *primus* itaque *descendit*, aquae virtutem experiebatur.

ILLVD autem proxime notandum venit, *Cum esset festum Judaeorum*, Pentecoste nimirum, contigisse id, quod dicitur. Et anniversariam tantum fuisse hanc sanationem ex Eusebio discimus[1]. Notum vero est festum illud mense Maio, vel circa initium mensis Junii, celebratum fuisse; quod tempus aquarum salubrium virtutibus opportunum est. Idcirco eo majori studio confluebant huc aegrotantes, ut medicamen arriperent, quo semel omnino quotannis uti licebat.

DENIQVE quod ad angelum spectat, qui *certis temporibus aquam turbasse* dicitur; salutarem hanc

[1] *Loco citato.*

stagni

ſtagni virtutem ei tribuunt, qui pro miraculo contendunt. Judaeos autem, ſi quid rarum et ſtupendum accideret, cujus cauſam inveſtigare nequibant, id ab *angelo Dei* factum eſſe dicere ſolitos, antea obſervavimus. Veruntamen iis, quae a natura provenerunt, miraculum iſtud addere potuit Deus; ut certo ſolummodo anni tempore, eoque praeſertim, quo ad feſtum ſolenne celebrandum gens univerſa conveniebat, ſalutare eſſet hoc ſtagnum; eique tantum, qui primus ingrederetur. Cujus rei (ſi de conſiliis divinis conjectari liceat) ea forſan cauſa fuiſſet; quod ſigno adeo manifeſto delectum ſibi populum Deus, ut promiſerat, antequam Meſſias adveniſſet, ſe non prorſus deſerturum, teſtari dignaretur.

Ad ſummam igitur, ſalutaris haec aquae vis, quae natura ſua eſſet medicinalis,

dicinalis, a Deo ita disposita fuisse videtur, ut simul praesentiae suae populo Judaico tesseram praeberet. Sed clarius illa remedium, verbum suum ἀλεξίκακον, huic infirmo subministravit Christi potentia. Quae eo tunc erat opportunior, quoniam malum id, quod tot annis inveteraverat, naturali remedio vinci non poterat; unde clarius effulsit divina ipsius virtus.

CAPVT

CAPVT IX.

De daemoniacis.

DÆMONIACOS, δαιμονιζομένες, in Evangeliis memoratos morbo revera naturali, et illo quidem difficili laborasse, ex descriptis eorum historiis mihi verisimillimum esse videtur. Varie quidem afficiebantur. Nunc enim " laceratis vestibus " nudi incedebant, obviis quibusque " terrorem incutientes, sua etiam " corpora sauciantes; ita furiosi, ut " catenis licet compedibusque vin- " cti, ruptis vinculis, in locis ma- " xime desertis, et inter sepulchra " mortuorum vagabundi errarent. " Quinetiam a multis daemonibus " obsessos se esse interdum clama- " bant, quos etiam ex se in alia " corpora posse migrare crede-

" bant[1]. Alias ingenti cum clamore
" aut lacerabantur[2]; aut ex proſtratis,
" at illaeſis, daemonium exivit[3]."

INSANORVM ſunt haec omnia; utrum vero a daemoniis, an vi morbi provenerint, diſceptatur. Id certum eſt, Judaeorum animis iis temporibus vulgo inſediſſe opinionem, occupare ſaepe homines malos genios, illoſque miris modis excruciare, et quaſi furiis agitare. Neque enim alius quiſquam inter omnes, qui humanum genus infeſtant, morbus tam naturae vim excedere videtur; utpote qui commotionibus animi efferatis, motibuſque corporis validiſſimis ſimul et non voluntariis, miſerabiliter divexat. At nihil profecto hic ſacrum, nihil, quod ex male affecta corporis ſanitate oriri non

[1] Vid. *Matth. Cap.* viii. ℣ 28. *Marc. Cap.* v. ℣ 2. et *Luc. Cap.* viii. ℣ 27.

[2] *Marc. Capit.* i. ℣ 23—26.

[3] *Luc. Capit.* iv. ℣ 33—35.

poſſit,

poſſit, reperimus. Illud ut liquido pateat, de inſania quaedam breviter dicenda ſunt; non ea quidem, quae febri acutae conjuncta eſt, illaque remittente deſinit, quam φρενίτιδα vocant, et brevis ſemper eſt; ſed illa, quae corpori inhaeret, et morbum facit diuturnum.

Est igitur omnis inſania laeſae imaginationis morbus, qui a mente primum una aliqua in re nimis diu defixa originem trahit. Hinc enim ſequuntur ſolicitudines, et de futurorum eventu animi angores. Et quo majoris in vita momenti ſint illa, in quibus imagines verſantur, eo vehementius homines conturbant; ut in amore et religione fieri videmus, ubi ſpes, metus, deſperatio, aliaeque contrariae animi commotiones, ſibi invicem ſuccedentes, diverſe pertrahunt. Hoc ita ſe habere nemini dubium erit, qui inſanientem ſaepe memoria conſtare;

res ſuas, niſi quatenus vanae ſpecies mentem percellunt, ſatis prudenter agere, quin et interdum etiam cum aſtutia quadam ſolito majori; depulſis denique medicamentorum vi imaginibus, ſui compotem vitam tranſigere, animadverterit. In hac igitur aegritudine terrificae primum imagines hominem opprimunt, quas ira et furor anxietatem comitantes inſequuntur; unde appropinquantibus dira omnia minatur et intentat, ſibi etiam prae angore non raro manus inferens; ſubinde iterum moeſtus agit, et invicem ſe excipiunt rabies animique demiſſio; multoties vero, praeſertim cum morbus fuerit diuturnus, in loca deſerta et ſola migrat procul ab hominum conſuetudine,

Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans[1].

[1] *Cicero, Tuſcul. Diſp. Lib.* iii. 26. *Qui ex illo Homeri vertit,* Ὃν θυμὸν καλέεσκον, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων. *Il.* Z. ℣ 202.

Qui

Qui morbo iſto afficiuntur, vitam diutiſſime haud raro protrahunt. Omnibus enim inſanis commune eſt, ut inediam, frigus, caeli inclementiam, quaſcunque denique noxas facillime ſuſtineant, ultra quam facile credi poſſit, corporis robore pollentes. Saepe etiam evenit, ut poſt longum tempus dementiae ſuperveniat epilepſia. Sunt enim affines hi morbi, neque in hoc caſu ſpes ulla ſalutis affulget, ut uſu compertum habemus. Denique obſervare oportet, prout corpus huic vel illi noxae magis ſit opportunum; ita vel furioſi, vel melancholici, ſpeciem praebere illum, qui hoc morbo laborat.

DAEMONIORVM autem ejectiones eſſe ſolummodo inſaniae depulſiones multi ideo non credunt; quod ea, quae hominibus ita affectis contingunt, vi naturae fieri poſſe nequaquam videantur. At illi ſane in re medica nimis hoſpites ſunt; neque

que animum ſatis ad ea attenderunt, quae in aliis aegritudinibus non minus mirabilia quotidie occurrunt. Annon hominem peſſundare vehementes animi affectiones ſaepe experimur? Subitus terror multos interemit, et ipſa quandoque ſupra modum exultans laetitia fuit exitio. Morbus periculoſus ex una corporis ſede in aliam ictu oculi citius interdum tranſit. A morſu canis rabidi venenum humoribus inſtillatum aliquandiu deliteſcit; et poſt aliquot hebdomadas, interdum et menſes, vim ſuam exerens, mala iis vix minus gravia progignit, quae daemones inferre perhibentur. Quid mirabilius iis, quae in graviditatibus non raro contingere videmus? Foemina in utero geſtans, ſi forte quid appetiverit, et fruſtra ſit, interdum rei concupitae figuram quandam, aut ſimilitudinem, in hac aut illa corporis parte, foetui ſuo imprimit. Imo,

quod

quod majus eſt, et prodigii inſtar, ſubita partis alicujus laeſione perterrita matre, ipſa illa pars in infante noxam ſentit, et nutrimenti defectu marceſcit. Scio hujuſmodi omnes hiſtorias a medicis nonnullis, quoniam, qui talia fieri poſſint, haud percipiunt, in dubium vocari. At multa, quae ipſe vidi, exempla mihi hac in re ſcrupulum omnem ademerunt. Tam ſtupenda autem eſt facultatis imaginandi vis, ut non minus falſae quam verae imagines afficiant, ubi mens iis aſſidue ſit addicta. Id enim in mulieribus, quae ſagae dicuntur, uſu comperimus, quae conſimili mentis errore captae, cum daemonibus non tantum conſuetudinem habere, ſed et pacta cum iis ſe iniviſſe, ſaepe imaginantur; idque animo adeo obſtinato, ut etiam in judicium vocatae ſe facinorum, quae nunquam perpetraverint, reas confiteantur, cum ob ea ipſa jam

mortis

mortis ſupplicium ſubiturae ſint. Proinde omnibus notum eſt, quam mirabilibus modis in melancholicis mens perturbatur. Hic ex vitro caput ſibi fictum putat, et, ne frangatur, foras prodire metuit. Ille ſe mortuum eſſe credit, et cum mortuis ſine cibo debere verſari. Talia ſexcenta memorantur. Memini me noviſſe virum literatum, qui ſe in ventre infantem geſtare affirmaret, de quo in lucem edendo valde ſolicitus erat. Duos etiam vidi, qui, cum ſoli eſſent, voces ſibi in aures loquentium audire putabant. Neque alia, ut opinor, conditio eſt illorum, qui larvas et ſpectra oculis cernere ſibi perſuadent. Sunt enim deliria quaſi ſomnia vigilantium, et in utriſque pariter mens, pro natura ſpecierum objectarum, diverſimode corpus agitat.

QVAM diverſis igitur modis laeſiones imaginationis, ubi diu inhaeſerint,

ſerint, hominem afficere, totumque calamitoſe admodum pervertere poſſint; ex iis, quae diximus, manifeſto apparet. Nulla autem re tantum perturbari humanas mentes, quantum formidine, nemo ignorat; cujus cauſa eſt amor ſui ipſius omnibus ingenitus. Quare cum, ut rectiſſime animadvertit Cicero, *Nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio*[1]; nil mirum eſt, ſi homines ſcelerum conſcii numinum timore percellerentur, quorum imperium in res omnes mundanas agnoſcebant. Etenim ut bona omnia, et vitae beneficia, diis accepta referebantur; ita mala, et calamitates, in criminum poenam putabantur ab iis immitti. Idololatria autem, ut ſupra dixi[2], apud Caldaeos ortum habuit, quae primum quidem in ſolis lunaeque cultu, deinde vero et in

[1] *Tuſc. Quaeſt. Lib.* i. 13. [2] *Cap.* i. *p.* 4.

daemonum adoratione consistebat [1]. Hi autem ministri divini credebantur; et erant primitus animae heroum et magnorum virorum, qui ob collata in genus humanum aut patriam suam beneficia colebantur. Et a Chaldaeis quidem ad Phoenices, postea ad Aegyptios propagata, ad Graecos deinde, hinc ad Romanos, aliasque demum gentes temporis progressu daemoniaca ista religio pervenit.

JUDAEI autem, siquid miri faceret natura, ad angelorum supremi Dei ministrorum operam referre soliti, facile in animum sibi inducere poterant, ut diras quasdam crederent aegritudines, quae mentem simul et corpus laederent, et quarum causas cognoscere nequirent, ab angelorum malorum ἐνεργείαις exoriri. Discimus enim ex Philone Judaeo [2],

[1] Vid. *Is. Newton. Chronolog. pag.* 160.

[2] *Lib. De gigantibus.*

cui

cui etiam consentit Fl. Josephus, *credidisse illos tam malos quam bonos esse angelos; bonos Dei ministeriis fungi erga homines, irreprehensibiles et beneficos; malos autem execrabiles, et modis omnibus noxios* [1]. At illustrius hujus rei testimonium dari nequit narratione morbi, quo correptus est Saulus [2], de quo superius egi [3]. Neque maniam tantum et epilepsin, sed et alios etiam morbos nonnullos ad daemonas pariter illi referebant. Ita cum *Jesus hominem mutum furiosum* liberasset, *ejecto daemonio*, id fecisse dicitur [4]. Cumque alium *furiosum, caecum, et mutum sanasset*, calumniantes dixerunt Pharisaei, *eum non nisi per Beelzebulem, daemoniorum principem, ejicere daemonia* [5]. Et Christus ipse, cum *mu-*

[1] *De bello Judaic. Lib.* vii. *Cap.* 6.
[2] Vid. *Regum Lib.* i. *Cap.* xvi.
[3] *Cap.* iii. *pag.* 27.
[4] *Matth. Cap.* ix. ℣ 32.
[5] *Matth. Cap.* xii. ℣ 22.

lierem quandam ſpiritum habentem debilitatis jam annos duodeviginti, eamque ſic incurvam, ut ſe erigere non poſſet, ab illa infirmitate ſolviſſet, more loquendi tum communi dicit, *Satanam illam annos duodeviginti vinctam habuiſſe*[1].

At non Judaeis tantum, ſed et aliis etiam gentibus, in uſu fuit inſanos pro daemoniacis habere. Hinc apud Herodotum rex Cleomenes dicitur *non ab ullo daemonio ad inſaniam redactus, ſed conſuetudine cum Scythis ebrioſus fuiſſe, et inde furioſus*[2]. Cumque δαιμονᾷν idem ſignificet ac δαιμόνιον ἔχειν, hoc verbo pro *furere* utitur Xenophon[3]. Quin et Ariſtophanes de eodem morbo gravius urgente vocem κακοδαιμονᾷν uſurpat, et deterrimum inſaniae gradum non μανίαν, ſed κακοδαιμονίαν

[1] *Luc. Cap.* xiii. ℣ 16.
[2] *Lib.* vi. *Cap.* 84.
[3] *Memorabil. Lib.* i.

eſſe

esse pronunciat[1]. Hinc etiam, ut notat Aretaeus, *sacer* apud illos dictus est hic morbus, *quoniam daemon aliquis in hominem ingressus esse putabatur*[2]. Medici igitur falsae isti opinioni fortiter obsistere necesse habuerunt. Morbos enim a malis geniis inferri creditos sacris ritibus et caerimoniis, non arte medica, depellendos esse vulgo persuasum fuit. Idcirco princeps medicorum Hippocrates, aut aliquis certe ex ejus discipulis, scripto perutili libello[3], nullos morbos divinitus accidere docuit; magorum ac praestigiatorum loco habendos esse monens, qui talia in populum spargendo inscitiam suam specie sanctitatis obvelarent.

CAETERVM quod ad daemonum hanc in corpora humana potentiam,

[1] Vid. *Plutum*, *Act.* ii. *Scen.* 3. ℣ 38. et *Act.* ii. *Scen.* 5. ℣ 15.

[2] Διὰ τῆς δόξης δαίμονος ἐς τὸν ἄνθρωπον εἰσόδου. *De causis morbi diuturn. Lib.* i. *Cap.* 4.

[3] *De morbo sacro.*

a Ju-

a Judaeis pariter ac aliis gentibus creditam, ſpectat, vim divinam in morbis inferendis, ubi cauſas naturales habere poſſint, ad partes trahi non debere, niſi diſerte denuncietur eos divinitus immitti, jam antea dixi[1]. Nulli enim, quibus miſeri mortales cruciantur, tam miri ſunt et viſu terribiles, quin ex corporis male affecti vitiis ortum habeant. Proinde Deus ipſe, ſi velit, tam cauſarum naturalium, quam bonorum angelorum, virtute ad mala cujuſcunque generis hominibus infligenda uti poteſt. Et nemo, opinor, exiſtimabit daemonibus conceſſum eſſe, ut homines pro libitu ſuo furiis exagitent. Sed plura de hac re dicere eo minus neceſſarium videtur, quod duo apud nos doctiſſimi theologi tam plene et copioſe illam jam antea tractaverint[2].

[1] *Cap.* iii. *pag.* 27.

[2] Vid. *Works of Joſ. Mede, edit.* 1677. *Diſcourſe* vi. et *Enquiry into the meaning of Demoniacs, etc.*

VT

Vt finem igitur morbis his daemoniacis imponam, quibus modis eos tractare oporteat, nunc breviter oſtendam. Et illud quidem ante omnia eſt agendum, ut mens cogitationibus iis, quae antea occupaverant, contrariis exerceatur; aliae enim imagines aliis locum cedunt, et, mutatione facta, animus ab eo ſtatu, in quo fuerat, abducitur; ad quod non ſatis attendunt plerique medici. Ubi id fieri poteſt, prompte interdum ſuccurritur. Cum autem propter moram diuturnam, quam traxit aegritudo, aut aliam aliquam ob cauſam, hoc non conceditur; idearum ſaltem, quae in praeſentia ſollicitant, vis omnibus modis minui ac frangi debet. Quorundam vani metus ſunt levandi, triſteſque cogitationes diſcutiendae. Aliorum vero audacia eſt coërcenda, in quem finem objurgationibus et minis haud raro opus eſt. Subiti

etiam

etiam terrores, qui mentem diverſo modo, quam quo agitata eſt, vehementer perturbent, pro tempore ſaltem interdum profuerunt. Veteres tormenta quaedam, ut vincula et plagas, praecipiebant[1]. Et vincire quidem eos interdum oportet, qui violentius ſe gerunt, ne vel ſibi vel alteri noceant. Tormenta vero et plagae ideo minus ſunt neceſſaria, quod animi tam puſilli, et imbelles ſunt omnes inſani; ut etiam acerrime furentes, ſemel aut iterum vincti, quaſi victi ſe dedant, et in poſterum meticuloſi ab injuriis inferendis deſiſtant.

Ad medicinam quod attinet, humores corporis craſſi attenuari, et ſpirituum animalium motus inordinati compeſci debent. Sanguinis igitur detractionibus, vomitionibus, purgationibus, veſicatoriis, et ſetaceis

[1] Vid. *Celſum*, *Lib.* iii. *Cap.* xviii.

dictis,

dictis, capitis interdum refrigerationibus, uti oportet. His adjungenda ſunt ea gummi, quae foetido odore nares feriunt; in primis vero *aſa foetida*, *myrrha*, et *galbanum*. Neque raro *camphora* in efferatis ultra modum motibus, et vigiliis, auxilio fuit. Plus autem prodeſt, praeſertim ſi calor febrilis urgeat, *nitrum*, quantum ſtomachus ferre poterit, frequenter adhibitum. Victu denique tenui, et corporis exercitiis, pugnandum eſt. Ea vero moderatio in omnibus exinanitionibus tenenda eſt, ut ne in morbum, quem, inſaniae contrarium, *cardiacum* dixere veteres[1], hoc eſt, corporis imbecillitatem, incidat aeger. Id enim cum fit, reſolutis viribus, nullus deinceps medicinae locus eſt; ſed homo in perpetuum moeſtus vitam protrahit, heu! nimis plerumque longam.

[1] *Celſ. Lib.* iii. *Cap.* xix.

CAPVT X.

De lunaticis.

VT medici quidam veteres morbum comitialem ad divinam quandam potentiam, ita insaniam ad lunae vim retulerunt. Lunaticus tamen, hoc est, σεληνιαζόμενος, cujus morbus in Evangeliis describitur, morbo comitiali afficiebatur [1]. Is igitur (nam unus tantum disertim memoratur) aut insanus simul erat et epilepticus, quod non raro fit; aut epilepsia ad lunae circuitus revertente, quod frequentissimum est, laborabat. Breviter enim de eo narratur, quod *saepe in ignem, saepe in aquam cadebat.* In hac autem aegritudine homo subito concidit, et quasi mortuus aliquandiu jacet;

[1] *Matth. Cap.* xvii. ℣ 15 *et* 18.

aut

aut diſtentis totius corporis nervis, oculis diſtortis, motiſque ex ore ſpumis, agitatur. Tempore vero interpoſito ad ſe redit, mali, quod paſſus fuit, ne minimum quidem ſentiens, perinde ac ſi nihil ſibi accidiſſet. Sed enim *Jeſus increpuiſſe daemonium* dicitur, *quod exiit, et puer ſanatus eſt.* Clarius autem epilepſiam paſſum fuiſſe hunc puerum ex eadem hiſtoria, ab evangeliſta medico depicta, apparet; qui *aegrum, ſimul ac corripuit ſpiritus, clamare, ſpumaſque agentem lacerari et dilaniari*, tradit[1].

Caeterum quod ad illos ſpectat σεληνιαζομένους, quos cum daemoniacis conjunctos, quaſi morbo diverſo laborantes, Jeſus etiam ſanaſſe dicitur[2]; ii aut inſani erant, aut inſani ſimul et epileptici, quod, ut modo diximus, non raro contingit. De

[1] *Luc. Cap.* ix. ℣ 39, *et ſeqq.*

[2] *Matth. Cap.* iv. ℣ 24.

daemoniis autem jam ſatis dictum eſt. Ad lunam vero quod attinet, minime dubium eſt, quin acceſſus ejuſmodi, ad certa menſis tempora recurrentes, homines impulerint, ut lunarem eſſe hanc aegritudinem crederent. Revera enim tantam virtutem in eo morbo habet hoc aſtrum, ut ſaepe non alio tempore, quam nova vel plena luna, homines illo corripiantur; planeta nimirum vim ſuam iis cauſis adjiciente, quae ad noxam hanc inferendam ſunt aptae. Id autem qua fiat ratione, alias explicui; ubi aetherem noſtrum, pariter ac mare in aeſtus ſuos, iiſdem vicibus intumeſcere manifeſto oſtendi[1].

Et cauſas quidem naturales habere, minimeque divinum eſſe hunc morbum, jam olim docuit magnus Hippocrates[2]. Quanquam enim illis

[1] Vid. *Lib. De imperio ſolis et lunae, Cap.* i *et* ii.

[2] *Lib. De morbo ſacro.*

tempo-

temporibus nondum ſatis patefactae eſſent animalis corporis ſedes interiores, neque bene perſpectae ſanguinis et humorum, liquoris praeſertim, quem nervi ferunt, proprietates; ſagaci tamen ingenio et uſu inſtructus plurima, tam ad naturam gravis hujuſce mali cognoſcendam, quam ad ejus ſanationem pertinentia, recte propoſuit. Hanc enim aegritudinem in cerebro ab humorum copia oriri, ſapientiſſimus ille ſenex monſtravit; ideoque ſine incantamentis et magicis artibus, quae ad eam depellendam tunc in uſu erant, illa, quae exſiccant, et exuperantem materiam minuunt, in primis ei mederi docuit.

Postqvam autem ſaeculis ſequentibus crebrior medicamentorum uſus invaluerat, plurima contra terribilem hunc morbum excogitata ſunt remedia, et nonnulla quidem

foeda nimis et horrida; qualia ſunt jugulati gladiatoris epotus calidus ſanguis, carnes humanae vel equinae, animalium quorundam teſtes et veretra, aliaque his ſimilia[1]; quaſi, quae naturae ſunt adverſa, tanto ejus vitio contraria eſſe debeant. Ita enim ſaepe fit, ut, ubi deeſt rationalis medicina, inepta quaevis et temeraria tentetur. At circumforaneis tantum medicis, et aniculis, iſtiuſmodi experimenta conveniunt. Quanquam ne noſtris quidem temporibus a ſordibus in hiſce caſibus ars noſtra ſatis abhorrere videtur; cum ſtercora adhuc avium quarundam, et ungulae quadrupedum, aegrotis ſaepe devoranda praebeantur. Mirari autem ſubit, cum chemia jam ex corporibus ſalia et principia ſua maxime actu-

[1] Vid. *Celſ. Lib.* iii. *Cap.* xxiii. et *Cael. Aurelian. Lib.* i. *Cap.* 4.

oſa

oſa elicere docuit; cur pura haec potius in uſum adhibere, quam craſſam ſimul et faeculentam, cui inhaerent, materiam, ſtomacho ſemper ingratam, nonnunquam et noxiam, in os ingerere medici nolint. At majora his auxilia expetit difficillimus iſte morbus, nec eadem ubique, ſed pro temperamentorum corporis diverſitate alia atque alia. Ea autem, quae plerunque conferunt, breviter hic tradam.

Sangvis, prout vires ferent, iteratis vicibus mittendus eſt, quo impetus ejus coërceatur. Vomitu interdum, purgatione per alvum crebrius, uti decet. In primis autem ſuperantem materiam a capite ſubtrahere oportet, quod praeſtant *emplaſtra veſicatoria*. Commodius vero idem fiet, ſi cutis medicamento cauſtico prope occipitium ita aduratur, ut per fonticulum perniciofus humor aſſidue prorumpat.

Et

Et haec quidem acceſſuum vim frangunt; ad ipſam vero cauſam tollendam, ubi id fieri poteſt (non enim ſemper conceditur) alia praeſidia requiruntur. Hanc enim in humore iſto, qui nervos corporis irrigat, quem ſpiritus animales vulgo appellant, ſedem praecipuam habere manifeſtum eſt. Quibus autem modis in hujuſmodi aegritudinibus is afficiatur, inveſtigare irritus, ut opinor, foret labor. Sed enim cum, ut alias docui[1], ex partibus conſtet tenuiſſimis, quae ex ſanguine in cerebrum derivantur, magnamque elaſticae iſtius materiae, per orbem univerſum diffuſae, portionem in ſe recipiunt, et implicitam tenent; quin corporis vel animi quodam vitio ita corrumpatur, ut officiis vitae exequendis jam minus idoneus, motus animales omnes non ad imperium voluntatis, ſed effraenato quo-

[1] *Account of poiſons, third ed. the Introduction.*

dam

dam impetu et inordinato peragat, nequit ſane dubitari. Remedia autem, quae pravae huic ſpirituum animalium conditioni emendandae conducunt, ea ſunt praecipua, quae humores attenuandi, et per ſudores e corpore propellendi, vi maxima pollent. Haec inter excellunt *radix valerianae ſylveſtris*, *caſtoreum Ruſſicum*, *gummi graveolentia*, et *cinnabaris nativa*, non parce, ſed larga ſatis copia, quotidie aſſumpta; ita tamen, ut medicamenti purgantis uſus aliquando iis interponatur, ex quibus haud aliud praeſtantius eſt antidoto *hiera picra*, facta nimirum ex hac, vino affuſo, tinctura. Celebratum enim a longo tempore *viſcum quercinum* inutile lignum eſſe, jamdudum experientia compertum habeo. Neque id mirum, cum guſtatu vel odoratu vix quicquam virtutis in eo deprehendatur, et Druidarum veterum religioni commen-

dationis ſuae originem unice debeat. Quocirca inter frivolas res iſtas numerari oportet, quas vana ſuperſtitio in artem medendi invexit; niſi forte falcem auream, qua demetebatur, candidam ſacerdotis veſtem, taurorum candidi coloris ſacrificia, et alia id genus inania, ad ſanandum conferre aliquid, ſibi quis perſuaſum habeat[1].

[1] *Plin. Hiſt. Nat. Lib.* xvi. § *ult.*

CAPVT

CAPVT XI.

Sanguinis muliebris profluvium.

MEMORAT Divus Matthaeus, "Christum mulierem quan-" dam, quae sanguinis profluvio " duodecimum laborabat annum, " verbo suo sanasse[1]."

QVAERITVR itaque, cujusmodi foret iste morbus. Cum dicitur autem γυνὴ αἱμορῤῥοοῦσα, sanguinis fluxum ex partibus naturalibus fuisse opinor, quem ῥόον αἱμαλώδη appellat Hippocrates[2], et longum necessario esse observat. Unde duodecim jam annos misella haec eo laborans, nulla arte sanabilis jure censeri poterat.

[1] *Cap.* ix. ℣ 20. [2] *De morb. Lib.* i. *Sect.* 3.

CAPVT XII.

Debilitas dorſi cum ſpina rigida.

" ERAT mulier quaedam ſpiri-
" tum habens debilitatis
" jam annos duodeviginti, eaque ſic
" incurva, ut ſe erigere prorſus non
" poſſet; cui manus impoſuit Jeſus,
" et ſoluta eſt ab infirmitate, atque
" protinus correcta[1]."

Συνκύπτουσα erat haec mulier, ſive *cernua*; non valens ἀνακύψαι, ſive *caput attollere*. Spiritus autem iſte, pro more loquendi Judaeis uſitato, erat ipſe *Satanas*. Nam ita mox ad collegii magiſtrum, indignantem illam ſabbato ſanatam eſſe, Chriſtus ipſe loquens ait, *hanc Satanam annos jam duodeviginti vinctam habu-*

[1] *Luc. Cap.* xiii. ℣ 11, *et ſeqq.*

iſſe.

iſſe. Et eodem plane ſenſu πνεῦμα ἄλαλον vocat Marcus evangeliſta *ſpiritum, qui loquendi facultatem impediret*[1].

Hoc malum ſaepe iis contingit, quibus lumborum vitio nimis diu vexatis muſculorum fibrae illic contrahuntur, et rigidae fiunt. Veriſimile eſt igitur ab hac ipſa cauſa diuturnum hunc morbum, non alia quam divina ope ſanabilem, proveniſſe.

[1] *Cap.* ix. ℣ 17.

CAPVT

CAPVT XIII.

Christi sanguineus sudor.

De Christo ipso narrat Divus Lucas, quod, " cum esset in aestu contentius orans, sudore manabat simili sanguineis guttis ad terram delabentibus [1]."

Hoc vulgo ita accipitur, ut si ipso sanguine sudasset Servator mundi. Id autem non dicitur. Erat solummodo sudor ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος, *sicut sanguinis guttae*; hoc est, guttae sudoris adeo magnae erant, crassae, ac viscidae, ut instar guttarum sanguinis caderent in terram. Ita verba haec intellexerunt Justinus Martyr, Theophylactus, et Euthymius. Observavit tamen Galenus,

[1] *Cap.* xxii. ℣ 44.

Contin-

Contingere interdum, poros ex multo aut fervido spiritu usque adeo dilatari, ut etiam exeat sanguis per eos, fiatque sudor sanguineus[1].

[1] *Lib. De utilitate respirationis.*

CAPVT

CAPVT XIV.

Morbus Judae.

INTER morbos refero nefarii proditoris Chriſti, Judae ſcilicet, mortem; de qua eo libentius aliquid dicam, quoniam in diverſas ſuper illa ſententias abierunt etiam doctiſſimi ſacrarum literarum interpretes. Et quinquaginta circiter abhinc annis duo in academia Lugdunobatava celeberrimi hiſtoriarum profeſſores, Jacobus Gronovius et Jacobus Perizonius, nimia cum iracundia, editis libellis, controverſiam hanc agitarunt. Non enim ſemper et uſquequaque cultores ſuos humanos reddunt literae humaniores.

LIS illa hinc orta eſt. Ediderat Perizonius *Aeliani varias hiſtorias* cum notis ſuis et aliorum, ubi arrepta

repta occaſione ab eo, quod de Poliagro tradit Aelianus[1], ſignificationem verbi ἀπάγχεσθαι, quo mortem Judae commemorans utitur Divus Matthaeus[2], diligenter excutit; eamque vocem non tantum ſtrangulationem, quae laqueo fit, ſed etiam ſummum animi dolorem, quo quis ad mortem fere premitur, et quo confecti necem ſibi ſaepe conſciſcunt, nonnunquam denotare contendit. Hoc aegre ferens Gronovius, qui jam ante libellum *De morte Judae* vulgaverat, quo hominem miſerrimum ſuſpendio voluntario vitam ſuam finiviſſe dixerat, ſtylum mox ſtrinxit, adverſarii rationes convellens, ſuaſque confirmans. Quin et de locutione πρηνὴς γενόμενος a Perizonio diſſentit, quam non de moriente, ſed de jam mortuo tantum, ſive de projecto cadavere, intelligi debere fidenter aſſerit. Divus enim

[1] *Lib.* v. *Cap.* 8. [2] *Cap.* xxvii. ℣ 5.

Matthaeus ſimpliciter dicit ἀπήγξαλο[1]; Lucas autem plenius, πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ[2], hoc eſt, *praeceps factus crepuit medius, et effuſa ſunt ejus omnia viſcera.* Satis igitur liquet, ſi verbum ἀπάγχεσθαι non aliud ſignificet quam *ſtrangulationem, quae laqueo fit*, minime ſecum concordare duos evangeliſtas; niſi cum doctiſſimo Caſaubono dicere velimus, Judam ſe ſuſpendiſſe, ſed, laqueo rupto, decidiſſe in praeceps. At hoc non mortis modum exponit, id quod manifeſte videtur voluiſſe Divus Lucas; ſed rem tantum levis momenti adjicit, quae poſt illam, aut certe in illa acciderat. Manifeſtum eſt autem per vocem hanc non tantum *ſuffocationem ſuſpendio factam* denotari, ſed etiam *ſummum animi dolorem*, quo vehementer oppreſſi mortem ſibi haud

[1] *Ibid.* [2] *Act. Apoſt. Cap.* i. ℣ 18.

raro

raro conſciſcunt. *Strangulat* enim, ut ait Ovidius, *incluſus dolor*. Et hoc quidem quamplurimis exemplis, ex auctoribus antiquis allatis, liquido demonſtravit Perizonius[1]. Neque minus dubium eſt, quin locutio iſta πρηνὴς γενόμενος, tam de illo, qui *ſponte ſua ſe praecipitem dat*, quam qui *caſu aliquo pronus decidit*, adhiberi poſſit; id quod idem ille prolixe oſtendit.

Non una diſſertatione ſtetit illa rixa. Expenſis autem argumentorum, quae ab utraque parte prolata ſunt, ponderibus, quod dixit Matthaeus cum eis, quae Lucas, aut apud eum Divus Petrus, expoſuit, hoc pacto conciliari poſſe exiſtimo. Proditor iſte miſerrimus, poſtquam Chriſtum morti damnatum vidit, facti ſui poenitentiam agere coepit;

[1] Vid. *Diſſert. De morte Judae*, et *Reſponſiones duas ad Gronovium*, *Lugd. Bat.* 1702 *et* 3.

hinc mox moerore animique desperatione correptus, aut vertigine captus (quod in ejusmodi aegritudine saepe evenit) ex alto cecidit pronus; aut, quod probabilius videtur, ultro se praecipitavit, et illiso forte ad saxum aliquod, vel arboris truncum, corpore, effusis visceribus, mortuus jacuit. Matthaeus itaque animi angorem, qui ipsum ad mortem sibi inferendam adegerat, declaravit; Lucas vero diserte ac proprie necis illius modum definivit. Non immerito igitur hoc mortis genus in numero morborum (aegrotabat enim animus) censeri debet.

CAPVT XV.

Regis Herodis morbus.

INSIGNIS eſt morbus, quo juſto Dei judicio in poenam ſuperbiae correptus Herodes Agrippa exſpiraſſe dicitur. Is enim σκωληκόβρωτος, hoc eſt, *a vermibus eroſus*, miſeram vitam finivit, ut ſacer tradit hiſtoricus, cujus verba ſic ſe habent: " Certo die Herodes regali " veſte indutus, in ſolio ſedens, ad " illos orationem habebat; et po- " pulus divinam eſſe, non humanam " vocem acclamabat. Ille vero con- " feſtim a Domini angelo ictus " (quod Deo gloriam non tribuiſſet) " et a vermibus eroſus expiravit [1]." At Joſephus eandem rem narrans *vermes* non memorat; ſed torminibus maximis ſubito correptum,

[1] *Act. Apoſt. Cap.* xii. ℣ 23.

continuiſque per quinque dies ventris cruciatibus confectum, periiſſe ſcribit[1]. Vermes autem, a quibus viſcera erodebantur, torminum fuiſſe cauſam Divus Lucas nos docuit.

ILLVD igitur ſingulare in ſe habuit regis hujuſce morbus, quod repente ipſi divinitus fuit immiſſus (idque illum agnoviſſe teſtatur Joſephus[2]) caeteroquin alia non deſunt verminoſi putroris in vivis exempla. Hoc enim morbo avus ejus Herodes, Magni cognomine inſignitus, diu laboraſſe, tandemque conſumptus fuiſſe dicitur[3]. Herodotus etiam de Pheretima, Arceſilai Cyrenenſium regis matre, meminit, quod vivens vermibus computruerit[4]. Atque eodem

[1] *Antiq. Jud. Lib.* xix. *Cap.* viii. § 2.

[2] *Ubi ſupra.*

[3] *Joſeph. A. J. Lib.* xvii. *Cap.* vi. § 5. et *De B. J. Lib.* i. *Cap.* xxxiii. § 5.

[4] *Hiſt. Lib.* iv. *in fine,* Ζῶσα σὺν λέων ἐξέζεσε.

foedo

foedo morbo, exesis genitalibus, periisse traditur imperator Romanorum, Galerius Maximianus[1]. Funestos igitur hujusmodi casus non observasse aliqui saltem ex medicis Graecis non poterant. Idcirco ad ulcera σκώληκας ἔχοντα, h. e. *vermibus scatentia*, remedia proposuit Galenus[2]. *In abscessibus* enim, inquit, *multoties inveniantur animalia*, ζῶα, *illis, quae ex putredine generantur, simillima*[3]. Et Philoxenus apud Aetium se aliquando *reperisse* dicit *in atheromatum humore animalia, culicibus, aut muscis parvis, similia*[4]. Denique Paulus Aegineta haec pellendi etiam rationem docet[5].

PLVRA autem veterum testimonia in re satis manifesta adducere

[1] *Sext. Aurel. Victor. Epitom.* et *Pompon. Laeti Rom. Hist. compend.*

[2] *De compos. medic. per genera, L.*iv.*Cap.*10.

[3] *Lib. De tumorib. praeter natur. Cap.* 4.

[4] *Lib.* xv. *Cap.* 7.

[5] *Lib.* iv. *Cap.* 42.

non

non eſt neceſſe, cum recentiores etiam medici complures haec eadem obſervarunt. Marcellus enim Donatus virum quendam illuſtriſſimum memorat, cujus ventrem obeſiſſimum ad mortem uſque eroſerunt, atque corruperunt, in cute, pinguedine et humoribus ultra modum diſtenta, nati vermiculi, iis haud diſſimiles, quos in corrupto vetuſtate caſeo occultari videmus[1]. Simillima his animalcula, ſimul cum urina ex corpore medici cujuſdam eximii exeuntia, vidit Nicolaus Tulpius, vir non minus arte quam doctrina inſignis[2]. Doctiſſimi etiam *Ephemeridum medicophyſicarum Germanicarum* ſcriptores atrocem nobilis cujuſdam Galli caſum enarrant, cui ex corrupto ſanguine dies noctesque cum horrendis cruciatibus, per univerſos fere cutis meatus, ocu-

[1] *De hiſt. medic. mirab. Lib.* i. *Cap.* 5.

[2] *Obſerv. medic. Lib.* ii. *Cap.* 50.

los

los nimirum, nares, os, et veſicam urinae, minutiſſima rufi coloris animalcula eruperunt, quorum carnificina miſerrime periit[1]. Apud eoſdem quoque ex abſceſſu in ſura puellae orto vermes nigri, ſcarabaeis haud abſimiles, prorepſiſſe memorantur[2]. Ex mammis denique puerperae minutiſſimos et candidiſſimos vermiculos cum lacte exiviſſe iidem auctores teſtantur[3]. Nec omitti hic debent duae conſimiles narrationes, quarum alteram Poterius, alteram, qui ſcripta ejus illuſtravit commentario, tradidit Fridericus Hoffmannus. Ille colonum curabat, cui ex aperto in genu dextro tumore vermes exiles vivi prodierunt, qui morſibus ſuis dolorem atrociſſimum hac in parte concitarunt. Hic autem artificem quen-

[1] *Decur.* 2. *ann.* 5. *Append. Artic.* 38.
[2] *Ibid. Artic.* 52.
[3] *Ibid. Artic.* 109.

dam vidit, quem cum tumor durus, magnam afferens moleſtiam, circa venas ani exortus infeſtaret, hunc iterum atque iterum ſcalpello chirurgus nullo cum levamine incidit; donec tandem ex ulcere facto vermiculos nigros, aculeis inſtructos, magna copia foras exemiſſet[1].

Historiis iſtis, licet mirae videantur, non eſt tamen cur quis fidem deneget. Animata eſt enim, ſupra quam credi facile poſſit, omnis rerum natura. Aër, quem ſpiramus; cibi, quibus veſcimur; liquida potiſſimum omnia, diverſiſſimi generis animalculis abundant. Ex quibus fieri poteſt, ut nonnulla corporibus noſtris recepta, et in exiguos partium molliſſimarum meatus, veluti in nidos, delata, more lumbricorum in inteſtinis, creſcant,

[1] *Poterii Opera cum annotat. Frid. Hoffmanni, edita Francof.* 1698, *pag.* 72.

et

et magnitudinem eorum acquirant. Hinc, obſtructis minimis humorum canaliculis, tumores oriuntur; qui calore ſuppurati et rupti foedam prolem incluſam, vermiculorum ſpecie, effundunt.

NEQVAQVAM igitur interpretibus accedo, qui phthiriaſi, hoc eſt, *morbo pediculari*, conſumptum interiiſſe Herodem autumant. Aliud animal eſt σκώληξ, aliud φθεὶρ; haec ſummam cutem, ille corporis interiora depaſcitur. Neque dubium eſſe poteſt, quin Divus Lucas, et ipſe medicus, vim utriuſque vocis recte intellexerit. Scio tamen morbum ὑπὸ τῶν φθειρῶν, cum eo ὑπὸ τῶν σκωλήκων oriundo, a viris doctiſſimis confundi; quorum illo periiſſe dicitur Pherecydes Syrius[1], ut etiam Lucius Sylla[2]. Unde erudi-

[1] *Aelian. Var. Hiſt. Lib.* iv. *Cap.* 28.

[2] *Plutarch. in ejus vita.*

tissimus Kühnius[1], *tantundem*, inquit, *mihi valet apud S. Lucam* Σκωληκόβρωτος, *ac apud Hesychium*[2] φθειρόβρωτος: ideo nimirum, quod pediculi veri sint vermes.

[1] *Not. ad Aelianum.* [2] *Lib. De vit. philos.*

FINIS.